INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA


GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE AESTIVUM

ANNI MDCCCLV. 1855

A DIE XVI. APRILIS USQUE AD XV. AUGUSTI

HABENDARUM.



Praemissa est de Philone Larissaeo disputatio altera.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

AUG. HENR. RITTER D.

CUM SENATU.

In ea disputatione, Commilitones, qua ante hoc quadriennium scholis de M. Ciceronis Academicorum libris habendis prolusuri Philonis Larissaei memoriam instaurare conati sumus, etsi cetera etiamnunc probamus, unum minus recte scriptum sero intelleximus, quod illius philosophi vitam ac placita neminem adhuc peculiariter tractasse dicebamus; ad idem enim argumentum delatus paulo ante C. J. Grysarus, tunc gymnasii Coloniensis, nunc academiae Vindobonensis professor, Philonem cum Antiocho Ascalonita singulari libello ita comprehenderat [1]), ut si jam tum ad hunc vos remittere licuisset, non nos quidem totum negotium abjicere, attamen iis potissimum operam nostram impendere potuissemus, in quibus etiam longius nobis, quam illi propositum fuit, progrediendum esse arbitraremur. Nimirum ille pro scholasticae scriptionis consilio in iis acquievit, quae ad ipsos Ciceronis libros tironibus aperiendos pertinerent; nos universam hominis imaginem animo complexi et scripta ejus et eam rationem persequebamur, qua eum cum reliqua Graecorum philosophia contineri verisimile esset; qua de quaestione quum etiam plura proferri posse intelligeremus, temporis angustiis coacti illam prolusionem in solis vitae placitorumque elementis enarrandis consumpsimus. Quod tamen jam tum per alterius praefationis opportunitatem absolvere constitueramus, id ne diutius differamus, et Grysariani libelli inspectio, quam ipsius viri illustrissimi humanitati debemus, et illa movent, quae paulo post nos E. Zellerus in historia philosophiae antiquae de Philonis loco inter Academicos disseruit [2]); ubi quum vel doctissimos homines intra limina illius quaestionis substitisse videremus, ipsa rei difficultate instigabamur, ut fundamentis dudum jactis ecquid amplioris aedificii imponere liceret temptaremus. Dignum vero esse, cui haec opera impendatur, Philonem, et Ciceronis testimonium arguit, qui *magnum virum* appellare non dubitavit [3]), et Augustini, qui eundem *circumspectissimum hominem* praedicat [4]); cujus quum praeterea ea conditio sit, ut philosophiae ejus explicatio cum Ciceronis Academicorum oeconomia mutuae illustrationis communione jungatur, ipsi huic semestri aestivo, cujus inter variam ac multiplicem lectionum copiam etiam Academicorum librum primum Seminarii philologici

---

1) Die Akademiker Philo und Antiochus, Cöln 1849. 4. — 2) Die Philosophie der Griechen, Th. III die nacharistotelische Philosophie, Tübingen 1852. 8, p. 331 sqq. — 3) Acad. post. I. 4. 13. — 4) Adv. Academ. III. 18. 41.

sodalibus interpretandum proponi videtis, aptiorem praefationem invenire vix potuimus.

Et primum quidem paucis de Zelleri judicio agendum est, quem oppido miramur Philoni locum inter eos assignasse, quos *eclecticorum* nomine in senescente philosophiae graecae aetate comprehendit; quod etsi nec solus ille nec tanta quanta alii levitate fecit, nollemus tamen sui nominis auctoritatem his adjecisset, qui ne Antiocho quidem Philonem comitem adjungere erubuerunt [5]). Atqui Antiochus, ut Augustini verbis utamur, *auditis Philone Academico et Mnesarcho Stoico in Academiam veterem quasi vacuam defensoribus velut adjutor et civis irrepserat, nescio quid inferens mali de Stoicorum cineribus, quod Platonis adyta violaret*; huic tamen eodem teste Philo *arreptis iterum armis restitit donec moreretur*, nec Cicero *Philone vivo patrocinium Academiae non defuisse* dissimulat [6]); ipsum denique Zellerum non fugit illud potius Philonem egisse, ut, quum Carneadis et Clitomachi pertinacia [7]) Academiam eo redactam videret, ut aut veri notitiam, quae summa in philosophia esset, abjicere aut, quod Antiochus fecit [8]), ad eclecticismum confugere cogeretur, eandem, quod itidem Augustinus testatur, *ad Platonis auctoritatem legesque revocaret.* Quod quo successu fecerit, non quaerimus; certe qui *velut cedentibus hostibus aperiri portas* philosophiamque quasi diuturna obsidione liberatam a perpetuarum rixarum taedio ad altiora redire posse sperasset, mox ipsius discipuli perfidia arcem scholae *quasi nullo hoste securam* prodi vidit; sed quamvis irriti conatus fuerint, injuriam tamen patietur, nisi sublimioris veritatis agnitionem cum debito rerum sensibus subjectarum contemptu jungere voluisse existimabitur. Nam quod ita eum Zellerus Platonem cum Carneade conciliasse suspicatur, ut quae novae Academiae propria essent, illi potius suggereret, quam ex illius opibus nova discipulis subsidia pararet, nullo veteris testimonii vestigio probatur; immo quod peculiariter Carneadei agebant, ut nihil comprehendi posse arguerent, Philo ad Metrodori exemplum [9]) *non decreto placuisse Academicis, sed necessario contra Stoicos hujusmodi eos arma cepisse* affirmabat, qui solis visis comprehendendis operam dabant; Platonem in eo potius sequebatur, ut suapte natura res comprehensionem admittere statue-

---

5) Instar omnium sit Saisset Aenesidème, Paris 1840. 8, p. 53: *cette chûte ne se fit pas attendre: après Carneade Philon et Antiochus fatigués de la lutte, passent à l'ennemi: Philon combat avec mollesse le critérium stoicien, et il accorde qu'à parler absolument, la vérité peut être comprise — l'académie n'existait plus après cet aveu!* — 6) Academ. pr. II. 6. 17. — 7) Contra hanc enim quae dicerentur, quia sustinere vix potuerit, nova quaedam Philonem commovisse Cicero ibidem §. 18 testatur; quae qualia fuerint, inferius quum aliis ex locis tum ex Academ. II. 10. 32 intelligemus; hic ipse tamen ne superiores quidem Academicos veritatem sprevisse, sed *naturam accusasse* docet, *quae in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit*; cf. Diog. L. IX. 72 cum Mullachio ad Democr. fgm. p. 336. — 8) Huic utique eclecticismum merito tribuimus cum C. Reinholdo Gesch. d. Philos. I, p. 283 et H. Rittero III, p. 696: *so löste die neuere Akademie sich auf und versöhnte sich mit der Stoa in einer eklektischen Halbheit.* — 9) Augustin. l. c.; cf. II. 6. 14: *novae Academiae discidium non tam contra veterem conceptum, quam contra Stoicos arbitror esse commotum.*

ret [10]), quod tantum abest ut cum inepta Numenii malevolentia [11]) ad metum hominis et angustias referre liceat, unde se nisi aliquid Stoicis concedendo expedire non potuerit, ut eandem Stoicorum rationem, qua comprehensionem cum sensibus jungebant, impugnasse et a rerum natura alienam habuisse certum sit. Neque illud vel Zellero vel iis, qui jam ante hunc in similis opinionis commenta inciderunt, concedimus, Philonem aut moralem potissimum philosophiae partem tractasse, aut hujus studio ad certiora scientiae fundamenta quaerenda adactum esse [12]); quo in genere quidquid de ipsius scriptorum argumentis cognitum habemus [13]), communes illius aetatis quaestiones nulla parte excedit neque quidquam continet quod non aut Arcesilas Carneadesve ad solam probabilitatis suae normam dirigere aut ipse Philo sine Platonicae sapientiae lumine exsequi potuerit; postremo si vel illic Platonicas voces, imagines, partitiones agnoscimus, neque hae *leges* erant, ad quarum auctoritatem *Academiam revocari* opus esset, neque harum causa Antiochus illum nova et inaudita proferre criminari allatisque libris quaerere potuerat, viderenturne *illa Philonis aut ea num vel a Philone vel ex ullo Academico audivisset aliquando.* Ne quis tamen propter easdem criminationes aut sibi ipsi Philonem parum constitisse aut, quae Catuli vox apud Ciceronem est [14]), ea, quae de veteris Academiae cum nova consensu praedicavit, *ementitum esse* credat, recogitandum est vulgus vel hominum vel philosophorum, qui tum erant, eam tantum Academiam cognovisse, cujus summa in impugnando Stoicorum Epicureorumve dogmatismo cerneretur; unde si quis altiore spiritu afflatus ad ipsa scholae primordia reverti conaretur, idem evenire poterat,

---

10) Sextus Emp. Hypot. Pyrrh. I. 235: *οἱ δὲ περὶ Φίλωνά φασιν ὅσον μὲν ἐπὶ τῷ Στωικῷ κριτηρίῳ, τουτέστι τῇ καταληπτικῇ φαντασίᾳ, ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πράγματα· ὅσον δὲ ἐπὶ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων αὐτῶν καταληπτα*: cf. P. Valentiae Academica p. 314—316 Orell. et Brandis in Niebuhr. Mus. Rhenan. III, p. 546 sq. — 11) Cf. Euseb. Praep. evang. XIV. 9, de iisdem vero fragmentis Ritteri judicium Gesch. d. Philos. IV, p. 559: *aus den erhaltenen Bruchstücken zu urtheilen möchten wir den Verlust seiner Schriften nicht sehr zu beklagen haben; denn sie lassen uns in ihm einen Mann erkennen, welcher ohne Spur einer gründlichen Forschung eitel genug die Brocken seiner Gelehrsamkeit auskramt und dabei doch die hochmüthige Miene eines Philosophen sich giebt, der solche Dinge nur zum Spiel betreiben dürfe.* — 12) Cf. Hanuschium Geschichte d. Filosofie, Olmütz 1850. 8, p. 438: *desshalb mag er sich selbst bemühet haben, Platon's Lehren getreu festzuhalten und zu erneuern; doch scheint er daraus besonders das Einleuchtendste oder Gemeinverständlichste und für das Leben Anwendbarste klug hervorgehoben zu haben, weil man ihn als Gründer einer vierten Akademie anzuführen pflegt;* longiusque adeo progressum Thorbeckium, qui in Disput. de eo quod in oppugnandis dogmaticis inter Academicos et Scepticos interfuit (Lugd. B. 1821. 4) p. 76, quasi ipse Philonis librum legisset, nescio qua *licentia instructum* hunc *systema quoddam doctrinae moralis literis mandasse narrat, quod nec Arcesilas nec Carneades sibi unquam sumpsisset;* horum tamen omnium antiquus auctor non exstat; vide igitur ne Stäudlinum secuti sint Geist u. Gesch. d. Scepticismus I, p. 342. — 13) Cf. Stob. ecl. Eth. p. 40—46, quem tamen adeo negligenter Zellerus inspexit, ut quorum claris verbis sex partes (ἑξαμέρεια) describuntur, hic quadripartitam potius descriptionem proponeret! — 14) Cic. Academ. pr. II. 4. 12 et 6. 18; cf. Brandis l. c. p. 547: *die Lüge dagegen, deren Philo in zwei Stellen desselben Buchs geziehen wird, ist auf die Behauptung zu beziehen, jene Unterscheidung sei ihm mit der früheren Akademie gemein und diese missverstanden worden; daher der vorgebliche Unterschied der älteren und neueren Akademie ungegründet.*

quod nunc iis, qui in Socrate existimando ad Aristotelem a Xenophonte ascendunt, ut prorsus novum hominem fingere videantur; nec si de dialectica scholae arte ageretur, potiores testes Philonem vel Metrodorum quam Clitomachum de Carneade fuisse Ciceroni facile credimus [15]); at enim id ipsum Philoni tanquam proprium tribuimus, ut ultra dialecticorum rixas ad principia quaedam cognoscendi redierit; sive maxime juvenis e Clitomachi disciplina recens et ipse solitis illis pugnis delectatus est [16]), mox ipsum sectae principem atque antesignanum amplexus, dum veri scintillas apud hunc dilucentes cum fallaciarum insectatione, quam dialectici docebant, conjunxit, non tam mutasse sententiam quam perfecisse et altioribus radicibus firmasse dici potest. Atqui hoc quantum distet a medio illo loco, quem Zellerus eum inter Carneadem et Antiochum obtinuisse vult, postmodo videbimus; nunc illud tantum monemus, ea, quibus hic eum suparasse Carneadem arbitratur, de ipsa dubitatione dubitando et probabilitatem augendo, apud Carneadem ipsum jam ita apparere [17]), ut, quod merito Zellerus urget, quartae Academiae conditor Philo propter haec dictus certe non fuerit; quod si recte ille, quod libenter amplectimur, *perspicuum in animo et mente impressum* [18]) ad Philonem retulit, id ipsum patet longe aliud apud hunc significasse, ac quod ille solum inde collegit Philonem probabilitati etiam plus quam Carneadem ponderis adjecisse.

Haec ipsa vero quoniam ita demum tutius constituere licet, ubi Philonem ea literis mandasse certum sit, antequam placitorum ejus vestigia persequimur, ad Grysarum nobis redeundum est, qui nescio quomodo Philonis libros vix usquam commemorari ait adeoque, si qui commemorentur, ab aliis potius exceptos ac divulgatos quam ipsius philosophi opera et voluntate editos esse, hunc placita sua coram tantum docendo propagasse suspicatur. Qua in disputatione illud quidem verum est, duos istos libros, quos Lucullus apud Ciceronem se Alexandriae pro quaestore versante primum in Antiochi manus pervenisse narrat, a P. et C. Seliis et Tetrilio Rogo Philonis auditoribus ab hoc ipso descriptos dici [19]), id tamen inscio vel invito Philone factum esse nemo inde colligat; utque hi nolenti exciderint, *scriptum* duntaxat Philonis Antiochus agnoscebat, quod non potuisset, opinamur, nisi is aliquid certe scripti antea jam edidisset; eadem denique, quae coram discipulis traderet, libris Philonem mandasse Cicero et suo et Varronis testimonio confirmat [20]); quorum librorum tantum abest ut, quod Grysarus innuit, incertum argumentum sit, ut nisi exposita necessitudine, qua nova Academia cum vetere Platonis cohaereret, error

---

15) Ibid. II. 24. 78. — 16) Numen. ap. Euseb. l. c.: *ὁ δὲ Φίλων ἄρα οὗτος, ἄρτι μὲν ἐκδεξάμενος τὴν διατριβήν, ὑπὸ χαρμονῆς ἐξεπέπληκτο καὶ χάριν ἀποδιδοὺς ἐθεράπευε καὶ τὰ δεδογμένα τῷ Κλειτομάχῳ ηὖξε καὶ τοῖς Στωϊκοῖς ἐκορύσσετο νώροπι χαλκῷ.* — 17) Cic. Academ. II. 9. 28; 34. 110. — 18) Ibid. II. 11. 34. — 19) Ibid. II. 4. 11: cf. Grysar l. c. p. 8: *die Worte lassen sich so deuten, als ob er die bei seinen Vorlesungen gebrauchten Hefte seinen Zuhörern einmal zur Einsicht und allenfalls zur Abschrift überlassen hätte.* — 20) Academ. post. I. 4. 13: *quanquam Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu existimas ipse, negat in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse, erroremque eorum qui ita putarunt coarguit* etc.

eorum, qui hanc ab illa sejungerent, coargui omnino non potuerit. Praeterea Stobaei eclogae, quas ille certi libri vestigia continere negat, propius intuentibus operis sex partibus descripti formam exhibent, unde jam superiore in disputatione Krischeo praeeunte [21]) Hortensii Ciceroniani semina probabiliter repetiisse nobis videmur; nunc ipso Grysaro duce eorum quoque librorum, quos de finibus bonorum et malorum Cicero scripsit, quartum certe adjungimus, quem quum jam Goerenzius ad Philonis exemplar expressum suspicatus esset [22]), Grysarus idem pro explorato posuit [23]), nec profecto injuria, modo ne hic quoque ad scholas Philonis potius, quibus ante quadraginta annos Cicero interfuisset, quam ad eam Ethicorum hujus partem respexisset, quam *περὶ τελῶν* inscriptam fuisse claris verbis Stobaeus [24]) tradit. Postremo ne Antiocho quidem adversus ipsum assurgente obmutuisse, sed hujus Soso rursum Philonem respondisse vel contra Krischeum [25]) ex Augustini verbis collegimus, qui eum *Antiocho, donec moreretur, restitisse* narrat; quod etsi verba etiam ad solum sectae discidium referri patiuntur, multo tamen veri similius est Philonem, qui semel Romam delatus nunquam Athenas rediisse videtur [26]), Antiocho Athenis docenti [27]) non scripta minus quam magistri auctoritatem opposuisse; praesertim quum aperte Augustinus non modo non cessisse, sed *arreptis iterum* Carneadeorum *armis* cum illo depugnasse Philonem tradat, quibus verbis, quantum nos sentimus, scriptae refutationis manifesta significatio continetur. Immo si haec *arma*, quae Augustinus appellat, stricto sensu intelligenda sunt, ne illud quidem concedimus ea, quibus Philo ultra Carneadem progredi temptaverit, in finem ejus vitae incidere; sed hunc potius decursum informamus, ut, quum conamina sua, quibus labanti Academiae ex Platonis auctoritate vel fulcrum vel vigorem quasi juvenilem reddere studuerat, irrita fuisse Antiochumque vicissim Stoicorum disciplinam ad veteris Academiae necessitudinem revocare [28])

---

21) Gött. Stud. 1845, p. 191; quamvis parum sibi constet, qui paulo ante p. 152 Aristotelis potius *προτρεπτικὸν* Ciceroni ante oculos fuisse existimavit. — 22) Ad Cic. Fin. p. XXVI: *ipsa autem haec Polemonis auctor non tam ex hujus scriptis petisse, quam ex Philonis, qui solus ipsi in Academicis magister fuerat, vel institutione vel libris hausisse videtur . . . qui Stoicam ut in reliquis ita in ethicis sententiam elevans tam parum ab Academica Peripateticaque discrepare diceret, ut ratio probabilis nulla esset, cur Zeno nova rebus nomina imponendo singularem disciplinam condiderit.* — 23) L. c. p. 11: *wenn Cicero bekanntlich die Schrift von den Pflichten nach dem Werke des Panaetius ausarbeitete, so ist es ebenso ausgemacht, dass er in dem vierten Buche de fin. die Vorträge des Philo, und in dem fünften die des Antiochus wiedergegeben hat.* — 24) Stob. l. c. p. 42: *καὶ γὰρ τῇ ἰατρικῇ σπουδὴ πᾶσα περὶ τὸ τέλος, τοῦτο δ' ἦν ὑγιεία, καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ περὶ τὴν εὐδαιμονίαν· συνάπτεται δὲ τῷ περὶ τελῶν λόγῳ ὁ περὶ βίων.* — 25) L. c. p. 192 sqq. — 26) Nam id, quod Cotta apud Cicer. N. D. I. 21 narrat, etiam ante a. 88, quo Romam Philo venit, accidere potuit. — 27) Grysarus enim quod Antiochum quoque a Lucullo Romam perductum ibique coram Philoni ejusque auditoribus oppositum esse perhibet, deceptus est Reiskii conjectura in Plut. V. Lucull. c. 42, qua *is ἀντέταττε* pro *ἀντετάττετο* scripsit; genuina Plutarchi verba ipsum Lucullum *ἀντιτάττεσθαι τοῖς Φίλωνος ἀκροαταῖς* narrant. — 28) Nempe hoc caput ejus professionis erat, ut Stoicorum rationem *correctionem veteris Academiae potius quam aliquam novam disciplinam putandam* esse jactaret, Cic. Academ. post. I. 12. 43; cf. Sext. Empir. Pyrrh. I. 235, Plut. V. Cicer. c. 4 etc.

intelligeret, totus jam eo vires suas contulerit, ne de horum certe cineribus quidquam inferretur, quod Platonis adyta violaret; quae si recte disputavimus, illud simul explicabitur, quod Krischeo quoque fraudi fuit, quomodo in extremis Academicorum libris, ubi Cicero Antiochi argutiis respondet, fere nihil inveniatur, quod proprie ad Philonem referri liceat, sed pleraque ad Clitomachi ipsiusque Carneadis placita redeant; nimirum quia ipse Philo ad extremum in eo acquievit, ut Academiam saltem, qualem ipse a majoribus accepisset, a Stoicorum conviciis atque Antiochi perfidia quovis modo vindicaret.

Sed haec utut sunt, aliquam utique nec minimam Academicorum partem ex quibuscunque Philonis scriptis Ciceronem transtulisse constat [29]; quorum si jacturam reparare quatenus licet conamur, ad hunc potissimum nos remitti patet; nec si hujus quoque libri tam iniquam fortunam experti sunt, ut ea potissimum, quae ad Philonem proprie pertinuisse videantur, temporum injuria interciderint, vel sic desperandum est fore, ut adhibitis ceterorum auctorum, quibus jam superius usi sumus, indiciis Platonicae doctrinae scintillas, qua illum Carneadearum tricarum tenebras illustrare studuisse diximus, in ipsa Ciceronianorum fragmentorum tenuitate dinoscamus. Atque hoc in negotio gratissima nobis praesto est et velut facem praefert Krischei industria, qui post levissimos Goerenzii conatus [30] perversamque Ranitzii sedulitatem [31] primus omnium utriusque Academicorum editionis libros singulos ita distribuit et ad veteris oeconomiae imaginem redegit, ut hoc certe extra omnem dubitationem positum sit, quo maxime loco Cicero Philonis placita retulerit; cujus quum in altero priorum Academicorum libro, qui exstat, eam mentionem fieri videamus, ut in superiore Catulus ea, quae pater suus olim Philoni objecisset, memorasse dicatur [32], ibidem hujus doctrinam exstitisse certum est; non tamen in principio libri, quod veri similius est eodem modo, quo in posteriorum Academicorum libro primo fieri videmus, totius Graecorum philosophiae memoriam ab incunabulis usque ad Stoicorum ab Academia discidium persecutum esse, sed ita potius, ut Cicero Catulo Carneadis auctoritatem contra Philonem tuenti similiter responderit, ut mox Lucullum Antiochi causam agentem refutat; quod ipsum responsum deinde probabiliter Krischeus in posteriore Academicorum editione secundum librum obtinuisse statuit [33]. Etenim hoc et clarissimo Nonii testimonio constat [34] et Krischei disputatione undequaque confirmatum est, Ciceronem, quum Varronis gratia retractatos duos Academicorum libros in quatuor volumina redigeret, hanc transcriptionem ita instituisse, ut tertius et quartus secundae editionis libri prioris secundo, qui exstat, paucis mutatis fere ad amussim respon-

29) Cic. Epist. Fam. IX. 8. — 30) Ad Academ. post. p. xxxvii, ubi secundo libro *Arcesilae*, tertio et quarto *Carneadis* et *Philonis* sententias repositas fuisse statuit! — 31) In Comm. de Cic. Academicis Lips. 1809. 4, quam mox frustra defendit in Beckii Act. Semin. philol. Lips. 1812, p. 165 — 173. — 32) Academ. pr. II. 4. 12. — 33) L. c. p. 181 sqq. — 34) Quippe qui duos locos ex tertio Academicorum laudet p. 117. 9 et p. 139. 32, quae in priorum altero etiam nunc leguntur §. 57 et 51; a §. 67 demum quartum laudat, quem numerum perperam olim ad totum illum librum transtulerunt; cf. Philol. VII, p. 471.

derent [35]) eodemque exemplo consentaneum est primos duos alterius editionis libros superioris primum ita iterasse, ut quum in primo, cujus plurima pars exstat, Varronis primae partes essent, in altero Cicero, quae in priore editione Catulo, in hac Varroni respondens ex Philonis sententia contra Carneadem simul ac Stoicos disputaverit, qui quamvis ceteroquin diversissimi tamen in ea re consentiebant, ut novam Academiam a vetere Platonis distinguerent. Qua in causa Ciceronem Philoni favisse, etiamsi non aliunde nossemus, vel ipsum, quod restat, extremum Academicorum posteriorum caput doceret, ubi haec perscripta legimus: *hanc Academiam novam appellant, quae mihi vetus videtur; si quidem Platonem ex illa vetere numeramus, cujus in libris nihil affirmatur et in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur*; eandem vero Philonis sententiam fuisse ex prioribus novimus, ubi Catulus pater ei propterea vel mendacium exprobrasse fertur (cf. not. 14); quod etsi hic ex Carneadeorum potius mente fecit, qui magistri sui a principe scholae sejuncti majorem gloriam fore arbitrarentur, ejusdem verba nunc facili negotio ad Varronem transferri poterant, qui Antiochi sectator id ipsum agebat, ut Plato, quem hic Stoicis potius assimilare curabat, cum Academicis, acerrimis horum adversariis, nihil commune habuisse videretur. Haec igitur disputatio, a Catuli persona ad Varronem translata, reliquam libri primi partem, quae intercidit, explevisse videtur; deinde in secundo libro Cicero non ut Goerenzio placuit Arcesilae sed Philonis doctrinam ita exposuit, ut quamvis jam hic vel Stoicorum vel Antiochi comprehensionem impugnari necesse esset, tamen iis armis contra hos uteretur, quae ex Platonis potius adyto quam ex Carneadis officina repeti possent, mox demum, postquam Varro in libro tertio universam Academiam iisdem fere verbis, quibus in priore editione Lucullus, aggressus esset, ille relicto vel Philone vel Platone in quarto libro, cujus et ambitum et argumentum etiam nunc ex priorum secundo inde a capite XX vel §. 64 existimare possumus, ipsam Carneadeorum dialecticam in aciem produceret. Unum illud in hac dispositione, quae nobis cum Krischeo communis est, ambigimus, utrum insignis illa lacinia, quam si non verbis at sententiis Ciceronianis Augustinus servavit, ad secundum demum an ad primum posterioris editionis librum pertinuerit, ubi universe de sectarum illarum ratione et praestantia actum esse diximus; nos potius Ciceronis orationi, cujus initium nunc in extremo libro primo legimus, hanc conclusionem deberi putamus, qua Academici sapientis praestantia hoc argumento comprobatur, *eum recte primum esse judicio suo, qui*, quod Themistocli post pugnam Salaminiam contigisse traditur, *omnium ceterorum judicio sit secundus* [36]); cujus argumenti

---

35) Insignissimum documentum est §. 122: *latent ista omnia, Luculle, crassis occultata et circumfusa tenebris*, quae ex altera scilicet editione Martianus Capella §. 517 his verbis laudat: *latent ista omnia, Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris*; cf. Krische l. c. p. 187; nec si ex tertio libro nonnulla (p. 65. 123. 419) Nonius affert, quae in priorum secundo nunc non exstant, aut numeri semper certi sunt, aut additamenta posteriora reliquorum consensum excludunt. — 36) August. adv. Academ. III. 7. 15; cf. Herod. VIII. 123.

imbecillitatem quum jam Augustinus merito reprobaverit, vix arbitramur illi alterum librum convenire, in quo, ut modo vidimus, Ciceronem jam ipsa Philoniae doctrinae penetralia ingressum esse totius operis dispositio suadet.

Haec ipsa autem quae fuerint, etsi primis lineis et Krischeus et Zellerus intelligenter descripserunt, nobis tamen neque in eo subsistendum videtur, ut universum scepticismum dogmatismo Cicero opposuisse, neque ut Philo probabilitatem Carneadis adjuncta perspicuitate auxisse dicatur, sed quum hunc omne doctrinae suae robur in Platonis auctoritate posuisse constet, ad hujus placita rediri quaerique oportet, quid inde aut ad defendendam ac tuendam aut ad amplificandam et illustrandam Carneadis rationem repeti potuerit. Atque hoc loco non modo per se patet, sed etiam certis indiciis confirmatur, contra Stoicos, quorum omnis comprehensio φαντασίαις, ut ipsi appellabant, hoc est *visis* niteretur [37]), plurimum ponderis ea Platonis argumenta habuisse, quibus sensus ad verum intelligendum prorsus ineptos et fallaces esse demonstratur eorumque testimonia a philosophia omnino removentur [38]); neque a Cicerone haec neglecta esse et priorum Academicorum locus docet, ubi hic se superiore die *multa contra sensus dixisse* ait [39]), et complura fragmenta ex posteriorum libro secundo apud Nonium servata arguunt, quae scite Krischeus ad hanc ipsam disputationis partem pertinere intellexit [40]). Immo vel magis necessaria in altera editione erant, quam in priore, ubi quum Catulo ipsius Carneadis patrono ita respondendum esset, ut quae hic defenderet, Academici omnino dicere negarentur [41]), sensuum fidem, quam Carneades pariter ac Plato impugnabat, multis verbis elevari vix opus erat; eamque causam esse suspicamur, cur Cicero illic contra sensus *minus necessario loco* se disputasse dicat; in posteriore autem editione, cujus ab initio statim cum Stoicorum admiratore et socio res erat, etiam data opera sensuum auctoritatem negari oportebat; quos etsi in quarto quoque libro, quem priorum secundi parti alteri congruum fuisse diximus similiter atque in hac fieri videmus, in disceptationem vocatos esse consentaneum est, hoc tamen discrimen non injuria inter utrumque statuere nobis videmur, ut in *secundo* libro ad Platonis exemplum contra *sensus*, in *quarto* Carneadeis armis contra *judicium* Stoicorum Philonis sententia defensa sit. Neque exiguum hoc discrimen esse ipsius Platonis comparatio docet, qui quum ipsum verum ad sensus pertinere negaret, singulorum visorum veritas percipi posset necne, parum

---

37) Cic. de fato c. 18: *assensio non possit fieri nisi commota viso*; cf. Stob. Ecl. phys. I. 41. 25, Plut. Plac. Phil. IV. 11. 12, pluraque de φαντασίᾳ καταληπτικῇ apud Sext. Emp. adv. Log. I. 151 sqq. et Hypot. Pyrrh. II. 5 sqq. — 38) Theaetet. p. 184 sqq. Phaed. p. 79 sqq. Republ. VII, p. 523 sqq. — 39) Academ. pr. II. 25. 79. — 40) Cf. p. 121. 32: *quid? lunae quae liniamenta sint, potesne dicere? cujus et nascentis et inseniscentis alias hebetiora, alias acutiora videntur cornua*; p. 162. 30: *quid? mare nonne caeruleum? at ejus unda, quum est pulsa remis, purpurascit*; p. 395. 2: *alius adultis, alius senibus, alius aegris, alius siccis, alius vinulentis*; p. 474. 27: *si quando enim nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum aut obscure admodum cernimus*; p. 545. 16: *quibus etiam alabaster plenus vino putere videtur*. — 41) Academ. pr. II. 4. 12.

curavit [42]; Philo autem quomodo hac in causa vel ultra Carneadem progressus sit, haud scimus an jam priorum Academicorum testimonio probetur [43]), ubi ne ita quidem comprehensionem concessisse traditur, si tale visum esset, quale Zeno definierat, *impressum effictumque ex eo unde esset, quale esse non posset ex eo unde non esset*; — nempe quia sensuum testimonium omnino sperneret, quibus Carneades hoc tantum ademerat, ut singulis visis dinoscendis non sufficerent; nam si tale visum, sicut Zeno definierat, re vera exsisteret, ei nec ipse assensum negaturus esse videbatur [44]). Atque sic etiam clarius intelligitur, cur tanta illum acerbitate Antiochus insectatus sit adeoque rationem ejus ab Academia alienam existimaverit, quia id ipsum radicitus sustulerat, quo invento semper spes fuerat fore ut Academici Stoicis manus dare cogerentur; quo tamen facto tantum aberat ut, quod adversarii criminabantur, *sublato incogniti et cogniti judicio imprudens eo quo minime vellet revolveretur inque id ipsum se quod timuisset*, hoc est ipsius veri desperationem, *indueret* [45]), ut hac ipsa re veri naturam ultra ejus judicii, de quo Stoici cum Carneade pugnabant, discrimen eveheret, nec *lenior* Stoicis, sed etiam gravior adversarius exsurgeret, ut qui caput controversiae in eum locum rejiceret, quo illi, visorum superstitione constricti, sequi ipsum omnino non possent. Nimirum, quantum nos intelligimus, non Philo magis quam Plato aut veritatem aut certitudinem aliquam, ut ita dicamus, objectivam negavit, hoc est eam quae in ipsa rerum natura posita esset; unam negavit subjectivam, quam Epicurei sentiendo, Stoici percipiendo sive comprehendendo effici arbitrabantur, eandem vero comprehensionem ad singularum rerum visa, non ad notiones referebant, quibus notionibus si quis Platonis exemplo rerum naturam contineri existimaret, vel hoc argumento comprehensionem impugnare poterat, ut eandem notionem plura individua complecti diceret, quorum visis discernendis ipsa veri hoc est notionis cognitio non sufficeret; nec si Arcesilas, Carneades, Clitomachus, errorem a sapiente prohibuisse contenti, circa externam visorum ambiguitatem substiterunt, quidquam obstabat quominus Philo cum eadem dubitatione atque epoche de rebus humano judicio subjectis altioris cujusdam veritatis agnitionem conjungeret, qua etiam magis a Stoicis quam a reliqua Academicorum turba distingueretur. Eo autem usque ut procederet, imprimis etiam ea reprehensio effecisse videtur, qua ipse Antiochus *Philonem maxime perturbatum esse* ajebat [46]), non, ut opinamur, quo ipse ita docuerit, sed quia Academicos hinc maxime Stoicorum aggressionibus obnoxios videbat, quod *quum sumeretur unum, esse quaedam falsa visa, alterum, nihil ea differre a veris*, eandem differentiam modo concedendo modo tollendo ipsi sibi re-

---

42) Augustin. adv. Acad. II. 6. 14. — 43) Academ. pr. II. 6. 18. — 44) Cf. Sext. Empir. adv. Log. I. 402: *τούτων δὲ τὰ μὲν ἄλλα λέγουσιν οἱ περὶ τὸν Καρνεάδην συγχωρήσειν τοῖς ἀπὸ στοᾶς, τὸ δὲ οἷα οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος ἀσυγχώρητον εἶναι κ. τ. λ.* — 45) Mirum in modum hoc de loco erravit Brandis. l. c. p. 546 interpretans: *Philo habe sich, was er bekämpft, zugleich zum Schutze ersehn*; quid sit *induere se*, apparet Verrin. II. 2. 42: *hic videte, in quot se laqueos induerit, quorum ex nullo se unquam expediret*, adeoque clarius c. 43: *videte ut, dum expedire sese vult, induat.* — 46) Academ. pr. II. 34. 111.

pugnarent; quibus etsi jam ex Carneadeorum sententia responderi poterat, ut apud Ciceronem est, *ita fore si ipsi verum omnino tollerent, id vero se non facere*, illud tamen, quod hic addit, *tam vera quam falsa cerni*, a Philone ita potius inverti consentaneum erat, ut omni sensuum ambiguitate relicta verum ad solam rerum naturam referret, quae propter hanc ipsam causam, quia sensibus non cerneretur, Stoicorum ratione percipi non posset [47]. Idemque horum quoque verborum sensus fuerit, quae a Lactantio ex Ciceronis Academicis allata probabiliter Krischeus ad librum secundum Philonisque doctrinam retulit: *mihi autem non modo ad sapientiam caeci videmur, sed ad ea ipsa, quae aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi* [48]; quibus verbis sensibus non solum hoc adimitur, ut hominem ad cognitionem veri, quae sapientia est, conducant, sed vel singulis visis quidquam veri inesse posse negatur; nec judicium tantum, in quo Carneades subsistebat, verum etiam facultas veri ex earum rerum orbe, quae cerni possint, tollitur; quod si nihilominus Philo verum verique perceptionem aliquam retinuit, facile apparet eum non modo nihil Stoicis, quod ad ipsam sapientiae rationem pertineret, concessisse, sed etiam longius ab his discessisse, quam ipsi vel Carneadem a se remotum existimare poterant.

At quidnam tandem fuit illud verum, quod Philonem cum Platone commune habuisse totique Academiae ita vindicasse diximus, ut idem cum Arcesila et Carneade Stoicorum comprehensioni acerrime repugnaret? Difficilis sane quaestio atque ita comparata, ut promptius quid ille negaverit quam quid affirmaverit invenias; neque eo progredi audemus, ut idearum doctrinam et pratum illud veritatis, unde Plato animas ante vitam scientiae notiones petere moxque reminiscendo instaurare vaticinatus est potius quam docuit, velut postliminio in Ciceronianae aetatis philosophiam reducamus; quarum licet Madvigius [49] vel apud Antiochum vestigia deprehendisse sibi visus sit, nos vix hoc ex Ciceronis verbis efficere conamur, ut Antiochus apud Philonem nonnihil de his rebus invenerit inque suum usum et virtutis commendationem converterit; — aliquid tamen hunc certi statuisse, quod ultra eos fines positum esset, quibus Antiochus et Stoici veri perceptionem circumscribebant, haec quoque Ciceronis verba suadent, quae ad ipsum Philonem referre non dubitamus: *alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere, quantumque intersit inter incertum et id quod percipi non possit, docere conantur*

---

47) Sic etiam Brandisius: *versucht aber dennoch eine objectiv reale Erkenntniss festzuhalten, die er im Gegensatz gegen die durch sinnliche Vorstellungen vermittelte wohl nur für eine intelligibele halten konnte*; adde Ritter. III, p. 693. — 48) Lactant. Instit. div. III. 14; cf. Krische p. 183. — 49) Ad Cic. de Fin. V. 21. 59, ubi quod Cicero ait *naturam ingenuisse sine doctrina notitias parvas rerum maximarum*, Madvigius p. 720 ita interpretatur, ut *Cicero Antiochum secutus esse videatur, Antiochus autem Platonicae doctrinae de ideis et ἀνάμνησι (sic) particulas cum Stoica doctrina conjunxisse*; easdem tamen *notitias* rectius, nisi fallimur — ipse enim libellus ad manus non est — Ebleus (über den Sosus des Antiochus von Askalon, Offenburg 1847. 8) ad ἐννοίας Stoicorum retulit, quae quantopere a Platonis notionibus distent, abunde docet Plutarchus adv. Stoicos; cf. Roorda in Act. Acad. Lugd. Bat. 1822—23.

eaque distinguere [50]), idque non incertum nec tamen perceptum quale fuerit, acute nobis videtur Zellerus in sequentis capitis verbis investigasse, ubi quos Lucullus ait *convicio veritatis coactos perspicua a perceptis distinguere et ostendere conari, esse aliquid perspicui, verum illud quidem impressum in animo atque mente, neque tamen id percipi ac comprehendi posse* [51]), recte ille negat quemquam potius quam Philonem denotare posse; modo ne eandem mox perspicuitatem ad Carneadis probabilitatem propius quam ad Platonis veritatem admovisset [52]), cujus nos vicissim non intelligimus quam potiorem sedem apud Philonem indagare liceat. Scilicet hanc perspicuitatem et Zellerus et alii, qui idem argumentum tractaverunt, perinde habuerunt ac Stoicorum adeove Epicureorum *ἐνάργειαν*, quae aut eadem cum *φαντασίᾳ* est [53]) aut ea tantum re ab hac differt, quod alia visa, ut ad comprehensionem evehantur, labore et inquisitione indigent [54]), *ἐνάργεια* autem per se certa et illustris est neque aut definitionem aut ullum rationis testimonium requirit [55]); unde etiam factum est ut Carneades, quum omne vel sensuum vel rationis judicium reprobaret, hoc maxime argumento uteretur, ut nihil horum sine perspicuitatis affectione homini contingere itaque ad *φαντασίας* sive visi locum deprimi argueret [56]); nec qui ita perspicuum definierunt, ut id esset, de quo inter omnes homines constaret [57]), aliam nisi sensuum communionem aliquam intellexisse, clarissimis testimoniis constat [58]); hoc igitur si quis solum amplecteretur, neque tamen veritatem visis concederet, non modo intra probabilitatem substitisse, sed vix Aenesidemi evidentiam [59]), nedum Carneadis *διεξωδευμένην φαντασίαν* attigisse [60]) facile largimur. At quaesumus, estne hoc *perspicuum*, ut apud Ciceronem legitur, *in animo atque mente impressum*, quod si Zellerus ad Philonem referre volebat, eadem opera ab omni sensuum contagione separare atque eo transferre debebat, ubi vel Stoicorum comprehensionem veritate superaret? An nulla apud Platonem *ἐνάργεια* est, quam Philo, qui unam eandemque semper Academiam fuisse contenderet, ipsi illi sensibilium rerum perspicuitati, de qua Carneades cum Stoicis disceptaverat, substituere atque opponere potuerit? Est vero, eaque ita, ut opinamur, comparata, ut et menti, quam ei sedem Philo dederat, unice conveniat, et comprehensionem, qualem Stoici volebant, prorsus refugiat, eadem denique illud explicet, quomodo etiam si quis de ipsa percipienda desperaret, aliquid tamen, quod veri simile esset, ad ipsius

---

50) Academ. pr. II. 10. 32, ubi *elegantius* idem est quod Platoni *κομψότερον*, quo saepius utitur in impugnandis erroribus, quibus tamen aliquid acuminis vel probabilitatis concedit; cf. Theaet. p. 156, Phileb. p. 53, Republ. VI, p. 505, pluraque apud Ruhnk. ad Tim. Gloss. p. 162. — 51) Academ. pr. II. 11. 34. — 52) Philos. d. Griechen III, p. 333: *dieser Begriff des Augenscheinlichen, das noch kein Wahres aber doch mehr als das Wahrscheinliche wäre, ist für die Mittelstellung des Philo bezeichnend.* — 53) Sext. Emp. adv. Log. I. 203. — 54) Id. Hypot. Pyrrh. II. 8. — 55) Cic. Academ. pr. II. 6. 17. — 56) Sext. Emp. adv. Log. I. 160. — 57) Cic. N. Deor. III. 3. 8. — 58) Sext. Emp. Hypot. III. 266: *ἐπεὶ τῶν δεικνυμένων ἐστὶν ἡ ἐνάργεια· τὸ δὲ δεικνύμενον πᾶσίν ἐστι φαινόμενον*: cf. adv. Log. I. 390 sqq. II. 148 sqq. 316 sqq. — 59) Ibid. II. 8: *ἀληθῆ μὲν εἶναι τὰ κοινῶς πᾶσι φαινόμενα . . ὅθεν καὶ ἀληθὲς φερωνύμως εἰρῆσθαι τὸ μὴ λῆθον τὴν κοινὴν γνώμην.* — 60) Ibid. I. 166 sqq.

exemplar exprimi posse non diffisus sit; quam qualem intelligi velimus, imprimis documento erit Reipublicae locus l. VI. 1, p. 484 c: *ἦ οὖν δοκοῦσί τι τυφλῶν διαφέρειν οἱ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα μηδὲ δυνάμενοι ὥσπερ γραφεῖς εἰς τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες κἀκεῖσε ἀεὶ ἀναφέροντές τε καὶ θεώμενοι ὡς οἷόν τε ἀκριβέστατα οὕτω δὴ καὶ τὰ ἐνθάδε νόμιμα καλῶν τε πέρι καὶ δικαίων καὶ ἀγαθῶν τίθεσθαί τε, ἐὰν δέῃ τίθεσθαι, καὶ τὰ κείμενα φυλάττοντες σώζειν*, ubi veritatis exemplar animo humano impressum similiter *ἐναργὲς* dicitur, ut eadem alibi passim *εἰλικρινὴς* id est pura ac dilucida appellatur; eandem tamen lucem quomodo Plato in causa esse putet, quominus humanae mentis acie percipiatur, ejusdem verba docent Sophist. p. 254: *τὸν μὲν δὴ φιλόσοφον ἐν τοιούτῳ τινὶ τόπῳ καὶ νῦν καὶ ἔπειτα ἀνευρήσομεν, ἐὰν ζητῶμεν, ἰδεῖν μὲν χαλεπὸν ἐναργῶς καὶ τοῦτον . . . τὰ γὰρ τῆς τῶν πολλῶν ψυχῆς ὄμματα καρτερεῖν πρὸς τὸ θεῖον ἀφορῶντα ἀδύνατα*, neque aliena sunt illa de ipsa sapientia Phaedr. p. 250 d: *ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰὸν καὶ τἆλλα ὅσα ἐραστά:* quae si quis cum iis comparaverit, quae superius not. 48 Lactantium ex ipsis Ciceronis Academicis servasse vidimus, nec mirabitur, credimus, nec infitiabitur Philonem ipsius Platonis vestigia prementem eo pervenire potuisse, ut verum suapte quidem natura et certum et perspicuum esse statueret, eidem tamen percipiendo humanae mentis caecitatem imparem praedicaret; haec enim, ut itidem Platonis verbis utamur Phaed. p. 79 e, *ὅταν μὲν τῷ σώματι προσχρῆται εἰς τὸ σκοπεῖν τὶ, ἢ διὰ τοῦ ὁρᾶν ἢ διὰ τοῦ ἀκούειν ἢ δι' ἄλλης τινὸς αἰσθήσεως, . . τότε μὲν ἕλκεται ὑπὸ τοῦ σώματος εἰς τὰ οὐδέποτε κατὰ ταὐτὰ ἔχοντα καὶ αὐτὴ πλανᾶται καὶ ταράττεται καὶ ἰλιγγιᾷ ὥσπερ μεθύουσα, ἅτε τοιούτων ἐφαπτομένη . . ὅταν δέ γε αὐτὴ καθ' αὑτὴν σκοπῇ, ἐκεῖσε οἴχεται εἰς τὸ καθαρὸν καὶ ἀεὶ ὂν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡσαύτως ἔχον κ. τ. λ.* Atqui haec longe alia est perspicuitas ab illa, quam Lucullus Antiocheus apud Ciceronem mordicus teneri debere jactat [61]), quae non in visis tantum, sed in iis solis haeret, quae vigilanti homini accidunt; id vero ipsum tempus est, quo mens humana vel praecipue sensuum consortio laborat, neque quidquam magis Stoicae comprehensioni contrarium inveniri potest, quam quod Plato Polit. p. 277 d ait: *κινδυνεύει γὰρ ἡμῶν ἕκαστος οἷον ὄναρ εἰδὼς ἅπαντα πάντ' αὖ πάλιν ὥσπερ ὕπαρ ἀγνοεῖν*, quo ipso argumento utitur ad excusandum, quod rerum *ἐνάργειαν* quam velut somnians homo intra se gerat, vigilantis oratio vix per exempla imaginumque ambages assequatur; quod etsi neutiquam ita intelligi volumus, ut vel Platonem vel Philonem ipsam quae dicitur somniorum *ἐνάργειαν* [62]) ad veritatem rerum retulisse significemus, hoc tamen manifesto explicat, quomodo Philo et perspicuum a percepto disjun-

---

61) Academ. pr. II. 16. 51; cf. 33. 105. — 62) *Ἐναργὲς ἐνύπνιον* et Plato Criton. p. 44 B. et alii ad Homeri exemplum (Odyss. IV. 841) passim dixerunt; cf. ad Lucian. Hist. conscr. p. 307.

gere et salva internae perspicuitatis fide eam, quam externis sensuum affectibus Stoici tribuebant, cum omni visorum perceptione in dubitationem vocare debuerit, si quidem hanc a somniante ipsi Stoici, a vigilante clara Platonis auctoritas abjudicabat. Habent haec, fatemur, aliquid reconditi semperque eam quaestionem relinquunt, unde tandem Philo illud sive perspicuum sive verum menti atque animo impressum esse adeoque aliquam sui conscientiam apud hunc excitasse existimaverit; quod nisi ideis adhibitis explicationem vix inveniat; at enim id ipsum, nisi fallimur, est quod Academicos *occultasse et pro mysteriis ita custodisse* vel Augustinus vel ipse quem testem citat Cicero perhibuerat, *ut nisi qui secum ad senectutem usque vixisset*, sententiae suae arcanum non aperirent [63]); qua de re quum eodem libro secundo, quem Philonis maxime placita continuisse diximus, pluribus Cicero egisse videatur [64]), haud scimus an et haec excusatio et quae apud Augustinum arcte cum ea cohaeret verisimilitudinis explicatio ad potiorem auctorem referri nequeat.

Nam ut vel hac in parte, quae propius ad vitam humanam pertinet, Philonem Platonis potius vestigia quam Carneadis exemplum secutum esse ostendamus, ne *verisimile* quidem magis quam *perspicuum* aut omnino Carneadi concedimus, aut ita, ut vulgo fit [65]), cum hujus πιθανῷ sive *probabili* confundi et promiscue haberi patimur; quod merito jam Gerlachius plane diversum esse monuit ab illo verisimili, quod graece εἰκὸς appellatur [66]); nisi quod hic rursus ad scepticos potissimum illud discrimen refert, qui si quando εἰκὸς dixerunt, nec philosophico magis quam vulgari sensu dixerunt nec evidentiae, quam ipsi pro vero habebant, simile potius quam contrarium statuerunt [67]); Carneadem autem, quem omnes uno ore dialecticae artis peritissimum fuisse clamant, quis credat in eos laqueos incidisse, quos planissime Augustinus monstrat [68]), ut quum verum falsum-

---

63) August. adv. Academ. III. 17. 38; cf. 7. 14 et 20. 43: *quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat; ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam . . . quae sit autem ista, deus viderit; eam tamen arbitror Platonis fuisse.* — 64) Nam quae Academ. pr. II. 18. 60 memorantur *mysteria*, illud testimonium, quod Ciceroni denunciat Augustinus, non exhauriunt; ibidem autem §. 59 ad ea, quae *heri audita* sint, remittimur; in his igitur etiam illam excusationem fuisse consentaneum est, quae ipsis Academicis tribuitur: *non solemus ostendere*; an hanc ad Carneadis ἀπόρρητα apud Euseb. Praep. XIV. 8 referamus? — 65) Sic, ut alios mittamus, Prellerus Hist. philos. gr. rom. p. 406 quae Sextus loco not. 60 laudato de variis *probabilitatis* gradibus ex Carneadis sententia narrat, ad distinctionem inter *verisimile* et verum refert; adeoque longius progressus Brandisius l. c. *probabile* et *perspicuum* apud Carneadem eodem loco habet; quae confusio licet ad Augustinum usque aliosque redeat, qui Ciceronem auctorem secuti sunt, apud eos tamen, qui non ut hic Carneadem cum Philone conjunxerunt adeoque totam Academicae rationis imaginem a Philone magistro acceperunt, vix, ut opinamur, invenietur. — 66) F. D. Gerlach. Academ. jun. de probabilitate disput. Gott. 1815. 4, p. 29. — 67) S. Emp. adv. Log. II. 323 sqq., ubi tantum abest ut εἰκὸς et πιθανὸν inter se distinguantur, ut εἰκάζων καὶ διαπιθανευόμενος uno tenore jungantur, quemadmodum εἰκὸς καὶ πιθανὸν Plat. Gorg. p. 486. — 68) L. c. II. 6. 15 et 7. 19, ubi quod Antiocho maxime hanc Academicorum oppugnationem tribuit, *qui se in vita veri similitudinem sequi dicerent, quum ipsum verum quid esset ignorarent*, eandem in Philonem potissimum cadere arguit; qui licet verum agnosceret, idem tamen quia percipi negabat, Antiocho Stoicisque ignorare videri poterat.

que internosci posse negaret, id tamen, quod probabiliter sequeretur, ejusdem veri similitudine aliqua commendaret? Nempe *εἰκὸς* idem esse quod *ἐοικός*, *simile*, veteres non fugit, nec Romani magis quam Graeci *veri simile* esse intellexerunt[69]; id vero licet orator, ut alteri persuadeat, etiam mentiri ad hujusque captum fingere possit, philosophus, nisi qui ipsum verum et esse et velut simulacra sui praebere credat, nec sibi nec aliis sequendum magis proponet quam Socrates Platonicus *δαιμόνιον* coli posse ait, quin simul etiam *δαίμονες* esse statuantur[70]; nec Carneades nominatim *εἰκὸς* proposuisse traditur, sed *φαινόμενον ἀληθὲς*[71]), quod verum videtur potius, quam visum ad veri speciem aliquam exigi jubet; quod si nihilo minus Cicero *probabile et quasi veri simile* jungit, ideo tantum facit, quia Carneadem et Philonem confundit, quanquam ipsum *quasi* abunde, ut opinamur, novum vocabulum *veri simile* neque ut *probabile* scholae usu tritum esse significat[72]). Atque hoc quoque quomodo a Platone Philonem accepisse dicamus, vel unius Augustini testimonio satis elucebit, qui omnia quae spectamus his verbis comprehendit[73]): *sat est enim ad id quod volo Platonem sensisse duos esse mundos, unum intelligibilem, in quo ipsa veritas habitaret, istum autem sensibilem, quem manifestum est nos visu tactuque sentire; itaque illum* verum, *hunc* veri similem *et ad illius imaginem factum, et ideo de illo in ea quae se cognosceret anima velut expoliri et quasi serenari veritatem* (hic Augustinus id quod apud Platonem est *καθαρὸν καὶ εἰλικρινὲς* expressisse videtur, quod superius jam cum *ἐναργεῖ* sive perspicuo comparavimus), *de hoc autem in stultorum animis non scientiam sed opinionem posse generari; quidquid tamen ageretur in hoc mundo per eas virtutes quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum similes, quae nisi paucis sapientibus ignotae essent, non posse nisi* veri simile *nominari*; quorum omnium auctoritatem vere Platonicam esse nemo ignorat[74]); quamvis igitur ambiguum maneat, quousque Philo perspicui sui radices intra intelligibilem veritatis mundum persecutus sit, ad hujus vitae usum nihil aptius Platonis doctrina quam *veri simile* offerebat, quod Philo pro Carneadis *probabili* amplexus re idem assequebatur, verbo autem ipsam agendi normam ab humani judicii caecitate ad aliquam certe veri communionem transferebat. Quid quod ipse Plato identidem ad imagines et *εἰκότας λόγους* pro veris confugiendum esse concedit,

---

69) S. Empir. adv. Mathem. II. 63: *ὅπερ καὶ εἰκὸς ὀνομάζειν εἰώθασιν οἱ ῥήτορες ἀπὸ τοῦ ἐοικὸς εἶναι τῷ ἀληθεῖ.* — 70) Apol. Socr. p. 27. — 71) S. Empir. adv. Log. I, 169: *ὧν ἡ μὲν φαινομένη ἀληθὴς ἔμφασις καλεῖται παρὰ τοῖς Ἀκαδημαικοῖς καὶ πιθανότης καὶ πιθανὴ φαντασία, ἡ δ᾽ οὐ φαινομένη ἀληθὴς ἀπέμφασίς τε προσαγορεύεται καὶ ἀπειθὴς καὶ ἀπίθανος φαντασία.* — 72) Academ. pr. II. 10. 32; cf. Augustin. l. c. II. 7. 16: *probabile scisne ab ipsis etiam veri simile nominari?* et 10. 24: *non enim illos viros eos fuisse arbitror, qui rebus nescirent nomina imponere, sed mihi haec vocabula videntur elegisse et ad occultandam tardioribus et ad significandam vigilantioribus sententiam suam.* — 73) Ibid. III. 17. 37. — 74) Unam monemus *civilem virtutem* expressam esse ex Phaed. p. 82 A: *οὐκοῦν εὐδαιμονέστατοι τούτων εἰσὶ καὶ εἰς βέλτιστον τόπον ἰόντες οἱ τὴν δημοτικὴν τε καὶ πολιτικὴν ἀρετὴν ἐπιτετηδευκότες, ἣν δὴ καλοῦσι σωφροσύνην τε καὶ δικαιοσύνην, ἐξ ἔθους τε καὶ μελέτης γεγονυῖαν ἄνευ φιλοσοφίας τε καὶ νοῦ*: cf. Symp. 209 A, Republ. VI, p. 500 E, X, p. 619 C, Leg. IV, p. 710 A.

ubi humana imbecillitas ipsi vero cognoscendo impar sit[75]; quos etsi fallaces esse et cautione indigere narrat[76], tamen ea certe tenus admittit, ut ne tollere veritatem sed ad hanc ipsam velut viam munire studeant, eoque nomine in Phaedro vel *oratoriam* artem, quae tota in *πιθανῷ* et *εἰκότι* versatur[77], non omnino rejicit[78], non quo verum per se doceat, sed quia hujus simulacra ipsis hominum sensibus proponere animosque eorum ad rectas opiniones dirigere possit, quarum ut vel optimae caecae sint[79], ad civilem virtutem multos eorum opera etiam sine sapientia pervenisse non negat[80]; hoc igitur exemplo si Philo non ille quidem probabilitatem ad ipsam perspicuitatem evehebat, attamen hujus opera, quam menti animoque humano impressam statuebat, actiones hominum ad ejusdem id est veri similitudinem dirigi posse censebat, et sibi et Platoni ita constabat, ut nunc certe ne minimam quidem eclecticismi suspicionem in eo relinqui nobis persuadeamus. Immo tantum aberat ut aliquid adversariis concederet, ut ne vocabulorum quidem eandem quam illi potestatem agnovisse reperiatur; qui quum verum appellarent, quod visorum comprehensione assensum extorqueret, perspicuumque in sensuum evidentia ponerent, ille veritatem a comprehensione ad perspicuitatem, perspicuitatem ipsam a sensibus ad solam mentem transtulit; qua in sententia si quid reprehendendum reliquit, hoc erat, quod falsam veri notitiam impugnare quam rectam persequi maluit, quumque suo jure rebus, quae sensibus percipiuntur, similitudinem tantum veri attribueret, verum a perceptione Stoicorum removisse contentus, ratiocinationem, qua Plato illud investigari jusserat, neglexit; unde factum est, ut qui a sensibili adversariorum veritate ad intelligibilem Platonis confugisset, hanc ipsam postremo sensisse potius quam intellexisse videretur. Sed de his jam in superioris disputationis fine dictum est; quae tamen quidquid reprehensionis continent, non in hominem, sed in totum ejus tempus cadet, cujus ea conditio erat, ut etiam quae ratione comprehendere vellet, sine sensibus non posset, sin sensuum judicium effugere conaretur, certam qua uteretur rationem non inveniret, sed pro ipso vero simulacra veri captaret; unde si quis non impune divinum rationis donum humanorum sensuum dominationi subjici collegerit, verissime nobis judicare videbitur; nec vos, Commilitones, vestro hoc potius quam alieno exemplo edoceri cupimus; quibus quum tot

---

75) Cf. Politic. p. 277 et Tim. p. 29: *ἐὰν οὖν πολλὰ πολλῶν εἰπόντων περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως μὴ δυνατοὶ γιγνώμεθα πάντη πάντως αὐτοὺς αὑτοῖς ὁμολογουμένους λόγους καὶ ἀπηκριβωμένους ἀποδοῦναι, μὴ θαυμάσῃς, ἀλλ᾽ ἐὰν ἄρα μηδενὸς ἧττον παρεχώμεθα εἰκότας, ἀγαπᾶν χρὴ μεμνημένον, ὡς ὁ λέγων ἐγὼ ὑμεῖς τε οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν, ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους πρέπει τούτου μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν*: adde Republ. II, p. 382 B et Leg. X, p. 897 D. — 76) Phaed. p. 92 D. — 77) Cf. S. Emp. adv. Math. II. 62 pluraque apud Spengel. Art. script. p. 30. — 78) Cf. Gesamm. Abh. z. class. Liter. p. 291 — 298 et Deuschle in Zeitschr. f. d. Alterth. 1854 p. 28. — 79) Republ. VI, p. 484 C et 506 C. — 80) Leg. II p. 653 A; cf. Menon. extr. pluraque de hoc loco in Prooem. Lect. Marb. 1837—38, adjectis Stallbaumii Vindiciis loci cujusdam legum Platonicarum, inter quas simul disputatur de gradibus virtutum secundum Platonem, Lips. 1844. 4.

sensuum illecebrae non in vita magis quam in multiplici disciplinarum varietate objiciantur, etiam atque etiam cavendum est, ne, si quando vos resipiscere vel aetas vel ipsa rerum vis cogat, rationem ducem caelestisque veritatis lumen nequiquam desideretis.

P. P. in Academia Georgia Augusta m. Februario a. MDCCCLV.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., h. IX—X senis per hebd. scholis *tria priora evangelia* explicabit; h. XI—XII quinis scholis *Isagogen in libros N. T. historico-criticam* docebit; publice h. III—IV diebus Lunae et Martis epistolam *Jacobi* et utramque epistolam *Petri* interpretabitur.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice *Seminarii homiletici exercitationes* moderabitur die Sat. h. X—XII; librum *Coheleth* bis per hebd. dieb. Lun. et Jov. h. II interpretabitur. Privatim quinquies h. VIII *Historiae ecclesiasticae partem secundam* enarrabit; hora XI *Theologiam dogmaticam* quinis per hebd. lectionibus docebit.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Seminarii Regii homiletici* exercitationes die Saturni h. X—XII et *exercitationes catecheticas* moderabitur dieb. Mercur. et Sat. h. V—VI. Item publice *Politicen ecclesiasticam* adumbrabit die Merc. h. III—IV. Privatim *Theologiae practicae partem alteram* tradet, i. e. doctrinam cultus divini, orationum sacrarum formandarum curaeque animarum quater p. hebd. h. III—IV. *Apologeticam* seu *Dogmaticen generalem* exponet quater dieb. Lun. Mart. Jov. Ven. h. XI—XII.

J. A. DORNER, Dr. Th. et Ph., privatim h. XII quinquies *Evangelium Joannis* interpretabitur; h. IV ter *Theologiam Veteris Testamenti* enarrabit.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., privatim *Historiae ecclesiasticae partem primam* tradet sexies p. h. hora VIII—IX. Publice enarrabit *Historiae ecclesiasticae partem tertiam* quinis p. h. lectionibus h. IV—V, et *Historiam dogmatum medii aevi* die Saturni h. IX—X.

* * *

FRID. GODOF. RETTIG, Dr. Ph., Gen. Superint. Princ. Gotting., praecepta *Artis catecheticae* (duce libello suo) quatt. lectt. hora XI. privatim tradet; *exercitationes catecheticas* dieb. Merc. et Sat. hora XI. publice moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., *Pandectas* docebit hora IX—X et hora XI—XII; publice diebus Martis, Jovis et Veneris h. V—VI doctrinam *de servitutibus et pignoribus* tradet.

GUIL. THEOD. KRAUT, Dr., *Jus Germanicum privatum cum feudorum et mercaturae jure* ex quarta libri sui: *Grundriss zu Vorlesungen über das deutsche Privatrecht — — — nebst beigefügten Quellen* (*Gött. 1855*) editione sexies per hebdomadem h. VII—VIII et IX—X adiunctis *theoretico-practicis exercitationibus* una auditoribus commoda hora tradet.

GUIL. FRANCKE, Dr., tradet hora XI—XII *Institutiones juris romani*, hora VIII—IX doctrinam *de hereditatibus*.

H. A. ZACHARIAE, Dr., tradet: *Jus publicum Germaniae* sexies per hebdom. h. XII; *Theoriam processus criminalis*, recentiorum legum, quae in Germania de reformando publicorum judiciorum ordine latae sunt, praecipue *Codicis regni Hannoverani*, peculiari ratione habita, quinquies per hebd. hora X; *Encyclopaediam juris*, quater per hebd. hora IX.

H. CAROL. BRIEGLEB, Dr., sexies per hebd. diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII et diebus Martis et Veneris h. III—IV collegium *processuale practicum et relatorium* instituet.

AEMIL. HERRMANN, Dr., *Jus criminale* privatim docebit senis lectionibus h. X., *Juris philosophiam* quaternis h. XII. *Selecta juris criminalis capita* publice pertractabit binis lectionibus h. XII. Semel per hebd. hora accuratius definienda *praecipuas partium in civitate et ecclesia dissensiones* examinabit publice.

HENR. THÖL, Dr., quater per hebdom. *Civile practicum* instituet dieb. Lunae et Jovis hora IV—V et V—VI. *Jus mercaturae* e libro suo (*das Handelsrecht dritte Auflage*) quinquies tradet hora VII—VIII.

ORDINIS MEDICORUM.

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., publice dieb. Jovis et Ven. hora IV. *Encyclopaediam et Methodologiam medicam* ex III compendii sui editione, privatim quater per hebdom. hora IV *Pathologiam*, ex VI. compend. sui editione, atque *Therapiam generalem* ex compendio suo tradet.

C. F. H. MARX, Dr., h. IX—X. praecipua et scitu dignissima capita *Historiae medicinae literariae* diebus Jovis et Veneris explicabit; hora III—IV. doctrinam de *remediorum effectibus atque usu*, necnon *artem formulas medicas concinnandi* quinquies per hebd. tradet; hora IV—V. *Pathologiam et Therapiam generalem* quater per hebd. docebit.

ED. C. J. DE SIEBOLD, Dr., hora VI. matut. quinq. p. h. *Artis obstetriciae* doctrinam exponet. *Cursum operationum* hora III. aliisve horis commodis instituet. *Clinicen obstetriciam* hora III. moderari perget.

F. WÖHLER, Dr., hora IX—X sexies per hebd. *Chemiam* tradet. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Physiologiam generalem et specialem cum Embryologia* ad Compendium suum (*Lehrbuch der Physiologie für Studirende und Aerzte 3. Aufl.*) h. IX—X docebit et demonstrationibus micro-

scopicis experimentisque illustrabit. *Historiam naturalem et zoologiam* e compendio suo (*Lehrbuch der Zoologie Gött. 1845*) h. II—III tradet. — Si qui horis publicis III—V, quibus die *Martis et Veneris* Museum academicum patet, accuratiorem *explicationem speciminum zoologicorum in Museo exstantium* desiderabunt, sua officia offert. — *Exercitationes systematicas zoologicas* moderari perget.

CONR. HENR. FUCHS, Dr., novies per hebdomadem, quinquies hora VII—VIII matut., quater h. V—VI p. merid. *Nosologiae*, *Diagnostices et Therapiae specialis partem secundam* tradet et quotidie hora X—XII in nosocomio Ernesto-Augusteo eique adjuncto Clinico ambulatorio *Praxin medicam* docebit.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., hora X—XI quinquies per hebd. *Physiologiae experimentalis Part. I.* hora VIII—IX quater per hebd. *Anatomiam comparatam* docebit. *Exercitationes practicas* in instituto physiologico una cum D. Schrader sueto more continuare perget.

GUIL. BAUM, Dr., publice *de ossibus fractis et luxatis* disseret die Ven. et Saturni h. II; privatim *de oculorum auriumque morbis* quater per hebdom. h. II. *Chirurgiae partem priorem* tradet quinquies h. IV et d. Saturni h. III. *Exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas et ophthalmiatricas* in nosocomio Ernesto-Augustano diriget quotidie h. VIII —X. *Exercitationes operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum* in theatro anatomico quoties cadavera aderunt diriget h. VI vespertina.

J. HENLE, Dr., *Anatomiae specialis partem secundam* (*Angiologiam et Neurologiam*) quot. h. XII—I, *Osteologiam et syndesmologiam* d. Lun. Merc. et Ven. h. XI—XII, *Anatomiam generalem* d. Mart. Jov. et Sat. hor. XI—XII tradet.

A. GRISEBACH, Dr., hora VII *Botanicen tam generalem quam specialem* explicabit et excursionibus botanicis plantarumque horti acad. demonstrationibus illustrabit; hora VIII quater per hebdomadem *Botanicen medicam* docebit. Seminarii physico-mathematici sodalibus *Exercitationes practicas ad Botanicen systematicam spectantes* offert.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JO. FRID. LUD. HAUSMANN, Dr., hora VIII sexies p. h. *Geognosiam*, conjunctis excursionibus, h. X diebus Lun. Mart. Jov. et Ven. *Technologiam* tradet. *Demonstrationes mineralogicas et palaeontologicas* in Museo academico sueto more publice instituet.

G. C. J. ULRICH, Dr., *Trigonometriam planam et sphaericam cum Stereometria* tradet h. X. *Geometriam analyticam cum secundi ordinis superficiebus* h. II quater p. h., *Geometriam practicam* diebus Lun. Merc. et Ven. h. V—VII docebit. *Exercitationes mathematicas* in Seminario physico-mathematico die Merc. h. II moderabitur.

CAROLUS HOECK, Dr., de *Historia Romana post pugnam Actiacam* aget, hora e tabulis publicis indicanda.

HENR. EWALD, Dr., h. IX senis lectionibus *Pauli Apostoli epistolas ad Galatas et ad Corinthios cum reliquis minoribus* explicabit; h. X librum *Jesaiae* propheticum cum locis ceterorum prophetarum selectis. Publice h. III ter linguam *persicam* et *armenicam* cum *sanscrita* comparatam docebit; bis linguam *syriacam*.

GUILIELMUS WEBER, Dr., hora III—V publice *Seminarii physico-mathematici* sodales instituendis *Observationibus physicis* exercebit, privatim *Physices experimentalis partem primam* dd. Lun. Mart. et Merc. docebit.

GEO. FRID. GUIL. MEYER, Dr., hiberno semestri lectionum suarum cursum continuabit.

F. TH. BARTLING, Dr., *Botanicen specialem*, praemissis Bot. generalis elementis, sexies per hebdom. h. VII; *Botanicen medicam* quinquies per hebdom. hora VIII; *Botanicen oeconomicam* dieb. Lun. Mart. Jov. et Ven. hora XI tradet. — *Excursiones botanicas* sueto more instituet. *Demonstrationes* in horto acad. hora commoda habebit.

HENRICUS RITTER, Dr., h. III—IV quinquies per hebd. *Logicen et Metaphysicen*, h. V—VI quinquies per hebd. *Historiae philosophiae partem priorem* seu *Historiam philosophiae antiquae* docebit.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN, Dr., publice Seminarii philologici sodales interpretando *Ciceronis Academicorum libro primo* exercebit diebus Jov. et Ven. h. XI; privatim *Encyclopaediam et methodologiam philologiae* tradet senis scholis h. VII vel IV; *Persii Satiras* explicabit ternis h. V. Privatissime sed gratis in Instituto archaeologico-numismatico *numos populorum et regum antiquorum* demonstrabit die Sat. h. IX, Seminarii paedagogici sodalibus *Gymnasiorum historiam* narrabit ipsorumque *exercitationes* moderabitur diebus Lun. Mart. Merc. h. XI.

G. HANSSEN, Dr., hora IX—X quater per hebd. *Statisticam oeconomiae nationalis* tradet; hora III—IV quaternis scholis *theoriam oeconomiae nationalis* docebit; publice die Mercurii hora commoda *de cura pauperum* disseret.

CAROLUS OESTERLEY, Dr., mensibus Junio et Julio lectionum suarum cursum sueto more persequetur.

AUGUSTUS GUILIELMUS BOHTZ, Dr., *Philosophiam religionis* diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora VIII—IX. docebit. Publice *Historiam Germanorum literariam* inde a *Lessingio* usque ad nostra tempora diebus Martis et Veneris h. III—IV. enarrabit.

F. G. SCHNEIDEWIN, Dr., publice *disputationes* sodalium Seminarii regii philologici moderabitur die Merc. h. XI. Privatim *Aeschyli Choephoros* interpretabitur quater quinquiesve hora VIII. *Syntaxin sermonis Graeci* docebit quater hora II. Privatissime *exercitationes societatis philologicae* regere perget.

ERNESTUS LUDOVICUS A LEUTSCH, Dr., publice sodalibus Seminarii regii philologici *Lysiae Orationes* interpretandas proponet dd. Lunae et Martis h. XI—XII. — Privatim praemissa historia Comoediae Graecae *Aristophanis Ranas* explicabit quinquies p. hebd. hora III—IV;

Livi Orationes ter hora X—XI, *Thucydidis Orationes* ll. I et II. inclusas bis h. X—XI dd. Jovis et Veneris interpretabitur.

GUIL. HAVEMANN, Dr., *Historiam praecipuorum Europae regnorum inde a saeculo octavo decimo usque ad annum 1815* tradet hora III diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris. Hora XI—XII iisdem diebus *Historiam Brunsvico-Lunaeburgensem* docebit.

G. WAITZ, Dr., privatim *Historiam medii aevi* h. VIII–IX quaternis scholis, *Historiam Germanorum et civitatum Germanicarum inde a saec. XVIII.* quater h. IV—V tradet, publice vero semel h. VIII—IX *res Germanicas reformationis aevo gestas* enarrabit.

ERN. BERTHEAU, Dr., *Psalmos* interpretabitur senis scholis h. X—XI; *Introductionem criticam et hermeneuticam in V. T. libros canonicos et apocryphos* narrabit senis scholis h. XI—XII; privatissime sed gratis *linguas arabicam et syriacam* docebit.

RUD. HERMANNUS LOTZE, Dr., quatt. dd. h. III—IV *Aestheticam* docebit; quatt. dd. h. V—VI *Historiam philosophiae a Kantii inde temporibus* excultae tradet; quatt. dd. hora p. m. VI—VII vel commodiore alia *Cursum philosophiae encyclopaedicum*, Commilitonibus medicinae studiosis destinatum instituet.

W. SARTORIUS DE WALTERSHAUSEN, Dr., quater per hebd. *Mineralogiam* hora X—XI, *Stoechiometriam* hora XI—XII dieb. Lun. et Jov. et *introductionem in crystallographiam* dieb. Mart. Merc. et Sat. hora XI—XII docebit. *Exercitationes practicas ad mineralogiam spectantes* instituet.

JOANNES BENEDICTUS LISTING, Dr., privatim *Opticen* tradet quater p. hebd. h. XII; *Oculi et microscopii theoriam dioptricam* medicinae studiosis exponet die Jovis hora II; *Crystallographiam* docebit dieb. Lun., Merc. et Ven. hora X; *Exercitationes physicas* in Seminario physico-mathematico publice moderari perget.

F. L. A. SCHWEIGER, Dr., *Historiam literariam medii aevi* adumbrabit quater p. hebd. h. VIII.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., publice horis commodis *elementa linguae Arabicae* exponet.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice *Exercitationes sodalium Instituti regii archaeologici* moderabitur; privatim *Rem scenicam Romanorum* tradet simul cum *analysi comoediarum Plauti et Terentii*, ternis scholis, h. IX—X, *Universam archaeologiam artium a Graecis et Romanis cultarum* explicabit, quinis vel senis scholis, h. X—XI; privatissime *Societatis philologicae studia* regere perget.

RECITATIONES EXTRAORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GEO. CHRN. RUD. MATTHAEI, Dr., *Epistolas Pauli ad Corinthios interpretabitur* sexies per hebdomadem hora IX. *Theologiam*

dogmaticam in epistola Pauli ad Romanos obviam cum doctrina Christi comparabit, dieb. Jovis et Ven. hora IX, auditoribus lectionum superiorum gratis. *Vitam Christi illustrabit* dieb. Lunae et Mart. hora II.

GEORG. CONR. AMAD. LÜNEMANN, Dr. ph., privatim *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur senis per hebd. lectionibus h. IX—X.

AUG. GUIL. DIECKHOFF, Lic. theol., *Historiae ecclesiasticae partem primam* sexies per hebd. hora VIII—IX, *Vitam Jesu Christi* quaternis per hebd. lectionibus hora XI—XII tradet. Publice *Prolegomena in theologiam dogmaticam* die Merc. hora XI—XII docebit.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

CAROL. GUIL. WOLFF, Dr., Collegium quod *Processuale* practicum vocant quinquies p. h. instituet h. IX, *Relatorium* ternis p. h. scholis h. III—IV; *Gaji Comment. lib. I. et II.* publice interpretabitur ternis p. h. diebus h. IV.

O. E. HARTMANN, Dr., tradet *Historiam juris Romani* sexies per hebdomadem hora X—XI; *Theoriam processus civilis* sexies per hebdomadem hora XI—XII et bis per hebdom. hora II—III.

FRIDERICUS MOMMSEN, Dr., hora XI—XII *Institutiones juris Romani*, hora IX—X *Jus obligationum* tradet.

ORDINIS MEDICORUM.

E. A. HIMLY, Dr., postquam convaluerit, lectiones suas indicabit.

E. F. G. HERBST, Dr., h. X—XI sexies per hebd. *Physiologiam generalem et specialem* docebit, atque experimentis et demonstrationibus microscopicis illustrabit; privatissime *Exercitationes practicas* in instituendis experimentis physiologicis et observationibus microscopicis diriget.

KRAEMER, Dr., publice dieb. Veneris h. II epistolas virorum cl. Ricord, Vidal, Simon, Welz cet. de *Syphilide* critice perlustrabit; privatim *Diagnosticen physicam*, praecipue *Auscultationem* et *Percussionem* adjunctis exercitationibus practicis quater per hebd. hora matutina VII, doctrinam de *fasciis vincturisque chirurgicis* ter per hebd. horis commodis docebit.

AUGUSTUS FOERSTER, Dr., tradet *Anatomiam pathologicam* s. *Demonstrationes anatomico-pathologicas* quater per hebd. hora III—IV; *Exercitationes microscopicas* moderabitur quater per hebdomad. hora mat. VII—VIII.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JO. FR. CESAR, publice *Mithridatem*, *Racinii tragoediam*, praemissa succincta literarum francogallicarum historia, Mercurii die hora I, exponet; privatim *poëseos dramaticae* apud Francogallos *historiam* quater p. h. hora commoda tradet; — *Meditationum Michaelis Montani*, quibus

titulus est: *Essais de Michel Montaigne*, capita nonnulla bis p. h. diebus Martis et Veneris h. II explanabit et in linguam saeculi nostri vertet; Scholas duas *gallice loquendi et scribendi* solito more *quater* p. h., alteram h. V, alteram h. VI vespertina instituet. — *Scholas privatissimas* continuabit. — Denique *Exercitationes practicas* privatissime habendas in arte *gallice scribendi acta diplomatica* (*diplom. Styl*) offert.

J. E. WAPPÄUS, Dr., privatim *Geographiam et Statisticam Americae* tradet quater per hebd. hora XI—XII.

GUIL. MÜLLER, Dr., *Grammaticam linguae theotiscae historicam* tradet quaternis scholis h. III; *Waltharii ab Aviario carmina* ex editione *Lachmanni* explicabit dd. Lun. et Jov. h. XII; *Societatis theotiscae exercitationes* moderari perget.

THEODORUS BENFEY, Dr., publice hora I—II dieb. Lunae, Mart. et Merc. docebit *Grammaticam linguae Sanscritae* secundum brevem suam Grammaticam. — Privatim h. I—II dieb. Jov. et Ven. *Chrestomathiam Sanscritam* a se editam interpretabitur. — H. II—III dieb. L. Mart. Jov. et Ven. *Grammaticam linguarum indogermanicarum comparativam* exhibebit.

M. A. STERN, Dr, tradet: *Calculum differentialem atque integralem* quinq. p. h. hora VII. *Mechanicen sublimiorem* quinq. p. h. h. VIII. In seminario phys. math. *de attractione ellipsoidis* disseret d. Sat. h. VII.

H. A. L. WIGGERS, Dr., tradet *Pharmaciam* sexies per hebdom. hora matut. VI—VII; *Pharmacognosiam* quinquies per hebdom. hora II—III duce Compendio suo: *Grundriss der Pharmacognosie, 3. Aufl. Gött. bei Vand. et Rupr.*

FRID. GRIEPENKERL, Dr., quinquies per hebd. diebus Lun., Mart., Mercur., Jov. et Ven. h. VII—VIII *primam Theoriae oeconomicae partem* (Agronomiam, Agriculturam, rationemque plantarum ad oeconomiam pertinentium colendarum) docebit; quater per hebd. h. X—XI tradet illam *Chemiae partem*, quae *circa agriculturam* versatur. *Excursiones* ad theoriam illustrandam spectantes instituet.

THEODORUS MÜLLER, Dr., privatim *Shakespearii tragoediam King Lear* interpretabitur, diebus Lun. et Jov. hora II—III; *Grammaticam linguae anglicae* adjunctis *exercitationibus practicis* docebit diebus Lun., Mart., Jov. et Ven. hora VI—VII. Lectiones privatissimas offert in *linguis anglica, francogallica, italica, hispanica.*

LUDOVICUS LANGE, Dr., publice *elementa grammaticae linguae sanscritae* tradet binis lectionibus hora auditeris commoda; privatim *syntaxin linguarum graecae et latinae* comparabit quinquies hora IX, et *antiquitates Romanorum publicas* exponet quinquies hora X.

CAROLUS BOEDEKER, Dr., *Exercitationes chemicas practicas* in laboratorio chemico instituti physiologici moderari perget: quinquies p. hebd. hora IX—XII, ter p. h. h. II—V.

H. LIMPRICHT, Dr., in laboratorio academico XXIV horis per h. *Praxin chemicam* docebit; diebus Jov. et Vener. hora III—V et die Sat. h. XI—XII *Chemiam organicam* tradet.

W. HAVEMANN, rei equestris Magister, tam tirones quam provectiores *equis regendis* exercebit diebus Lunae Mercurii Jovis et Saturni horis VI—X et V—VII.

* *

ARNOLDUS WEHNER, Mus. Dir. Acad., *Harmonicen musicaeque artis theoriam* et *aestheticam*, additis *exercitationibus practicis* horis antemeridianis audituris commodis docebit. Praeterea operam suam jam exercitatis offert ad artem *clavicymbali* atque *organorum* accuratius discendam, neque omittit ad *Societatem*, quae „*Academischer Orchester-Spiel-Verein*" vocatur, invitare.

H. M. MELFORD, Dr., publice *La Numancia*, *Tragedia por Miguel de Cervantes*, *praemissa succincta historia tragoediae hispanicae*, Mercurii die h. II exponet; privatim *Grammaticam linguae anglicae*, adjunctis exercitationibus practicis sexies per hebd. hora VI vesp. e libris suis, *Vereinf. Engl. Sprachlehre, 1841*, *The English Reader*, Ed. IV. 1851; et *Goldsmith's Dram. Works* (ex ed. sua 1846); *in anglice*, *gallice*, *ital. et hispan. scribendo et loquendo* quater per hebd. h. II. e libris suis: *Phraseol. Handwörterb.* Leipz. 1852; *Manuel de la langue franç.*; *Handb. der Ital. Umgangsspr.* II Ed. 1845; *Bühnenstücke* (Moratin et Cienfuegos); *Synonymiam linguae angl. adj. exercitat. practicis* explanabit duce libro suo: *Synonym. Handwörterb. der Engl. Sprache 1841*, ter per hebd. hora VIII. mat. Praeterea privatissime linguas *anglicam*, *francogallicam*, *italicam et hispanicam* docebit. Exercitat. *scrib. et loquendi* continuabit.

RECITATIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ORDINIS THEOLOGORUM.

FRIDERICUS AUGUSTUS HOLZHAUSEN, Philos. Dr. ac Theolog. Lic., exponet: *Historiae ecclesiasticae universalis partem priorem*, ab origine Ecclesiae usque ad Viclefum, h. VIII. *Grammaticam hebraicam* h. III. *Historiam dogmatum* h. IV. *Privatissima* offert.

E COLLEGIO REPETENTIUM.

HERM. MESSNER, privatim *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur sexies p. h. h. IX—X. — Diebus Lun. et Mart. hora III—IV *Jacobi epistolam* gratis interpretabitur.

ERN. CAR. GUIL. ELSTER, *epistolas Pauli ad Colossenses et ad Ephesios* scriptas binis per hebdom. scholis diebus Jov. et Ven. h. II—III gratis interpretabitur. *Grammaticam Hebraicam* semel per hebd. die Mart. h. II—III docebit.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

C. FRID. ROTHAMEL, Dr., *Jus ecclesiasticum* hora II tradet; *Pandectas* privatissime docebit; *Examinatoria generalia et specialia* more sueto instituet.

F. B. GREFE, Dr., tradet *Jus hanoveran.* sexies per hebdomadem hora XII—I.

E. F. ROESSLER, Dr., tradet *Jus germanicum cum feudorum et mercaturae jure* quinis per hebd. diebus hora VII—VIII et IX—X. *Historiam juris germanici* quater per hebdomadem h. XII. *Collegium exegeticum fontium germanicorum* binis lectionibus hora commoda instituet.

CAROL. BERN. HIERON. ESMARCH, Dr., *Pandectas* docebit hora IX—X et hora XI—XII. *Historiam juris Romani* quinquies per hebd. hora X—XI tradet. — Gratis *Jus XII tabularum* semel per hebd. die Mercurii hora V interpretabitur. — Privatissime *Jus civile* repetere cupientibus non deerit.

HILDEBRAND BODEMEYER, Dr., tradet hora X—XI *Historiam juris romani*; h. XI—XII *Jus privatum hannoveranum*; gratis *selecta capita juris hannoverani* exponet. *Repetitoria* offert.

RUDOLPHUS ELVERS, Dr., gratis, quae sit *propria juris romani indoles*, explicabit die Merc. h. X—XI; privatim tradet *Institutiones juris romani* h. XI—XII; *Historiam juris romani* quinquies per hebd. h. X—XI; interpretabitur interpretandasque proponet *selectas Digestorum leges* diebus Mart. et Ven. h. IV—V. *Repetitoria de jure romano* offert.

FRANCISCUS LÖHER, Dr., tradet *Historiam imperii atque juris germanici* quinquies per hebd. h. X—XI; *Jus borussicum civile* adjunctis exercitationibus practicis quinquies per hebd. h. XI—XII; *Fontium juris germanici historiam* gratis die Sat. h. X—XI et XII—I.

JACOBUS LUDOVICUS KAROLUS AEGIDI, Dr., *Jus ecclesiasticum* h. VIII—IX sexies, *Jus gentium* quater h. III—IV vel alia commoda privatim docebit; *Juris Germanorum publici, quod XIX saeculum progenuit, historiam* d. Sat. X—XII gratis delineabit.

ORDINIS MEDICORUM.

CH. F. E. STROMEYER, Dr., *Chemiae theoreticae partes singulas nec non Pharmaciam* privatissime docebit.

R. WIESE, Dr., *Materiam medicam* quater per hebd. hora III—IV vel IV—V tradet experimentisque illustrabit. *Theoriam auscultationis et percussionis* quater per hebd. h. V—VI (vel aliis horis magis commodis) exponet cursusque exercitationum adjunget practicarum. De *morbis cutis vulgaribus* die Mercurii hora III gratis disseret.

BERNHARDUS SCHUCHARDT, Dr., hora VII—VIII vel alia magis commoda *Materiam medicam et artem formulas medicinales conscribendi* quinquies p. hebd. docebit et praeparata remediorum officinalia demonstrabit; praeterea *Cursus explorationis physicae, imprimis percussoriae et auscultatoriae, in aegrotis nosocomii Ernesto-Augustani instituendae practicos* offert.

C. F. LOHMEYER, Dr., quater per hebdom. de *morbis cutaneis* hora III—IV vel alia commoda disseret, gratis *de vulneribus* bis hora post indicanda leget.

ADOLPHUS WACHSMUTH, Dr., h. VII—VIII *Pathologiam gene-*

ralem quinquies docebit; cursus *Diagnostices physicae* practicos sueto more instituet; gratis dieb. Mart. et Vener. h. IV—V *Semiologiam et diagnosticen generalem* tradet et demonstrationibus illustrabit.

L. A. SCHRADER, Dr., *Pathologiam generalem* experimentis illustratam, et *Therapiam generalem* sexies per hebd. in instituto physiologico, horis commodis, tradet. *Medicinam forensem* juris studiosos ter aut quater per hebd. ibidem docebit.

RUDOLPHUS GIESELER, Dr., privatim *Materiam medicam* quater per hebd. hora VIII et *Ophthalmologiae* doctrinam hora IV docebit.

OTTO SPIEGELBERG, Dr., ex itinere redux lectiones suas indicabit.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JULIUS TITTMANN, Dr., Ord. Phil. Assessor, *literarum elegantiorum apud Germanos historiam inde a primis temporibus usque ad Opitium* docebit hora XI; *Philosophorum tum antiquorum tum recentium doctrinas aestheticas* enarrabit, binis sch. hora I.

S. LANTZIUS-BENINGA, Dr., Ord. Phil. Assessor, sexies per hebd. hora VII *Botanicen generalem et specialem*, quinquies per hebd. hora VIII *Botanicen medicam* tradet. *Excursiones et demonstrationes bot. nec non exercitationes bot. practicas* instituet. Privatissime *examinatorium ad Botanicen generalem et specialem* spectans habebit.

TH. WÜSTENFELD, Dr., Ord. philosoph. Assessor, *Historiam constitutionis ecclesiae Catholicae* dieb. Lun. Mart. Jovis hora X—XI publice docebit. Idem *Historiam imperii Orientis inde a Constantino M. usque ad Constantinopolim per Turcas expugnatam*, iisdem diebus h. III —IV, vel alia auditoribus commoda gratis tradet.

CHR. FOCKE, Dr., de variis *Matheseos purae et practicae* partibus scholas habebit horis diebusque commodis.

ALB. LION, Dr., h. XI—XII *Plutarchi* vitas selectas, h. I—II *Ciceronis* libros de Officiis interpretabitur. Privatissime linguas vett. et recentt. docebit.

TH. FINCK, Dr., Scholas, si quas habere constituet, e tabulis publicis indicabit. In varias *Doctrinarum historicarum et politicarum* partes profitetur operam.

GUILIELMUS WICKE, Dr., tradet *Chemiam analyticam* diebus Lun. Mart. et Merc. h. VII—VIII. In laboratorio academico *Exercitationes chemicas* practicas cum agriculturae studiosis horis postea constituendis instituet.

FRIDERICUS BIALLOBLOTZKY, Dr., de *Geographia sacra*, nec non de *itineribus* per Italiam, Graeciam, Aegyptum, Palaestinam, Mesopotamiam, Chaldaeam, Assyriam et olim factis et etiamnum ita faciendis, ut artes disciplinaeque sua inde capiant incrementa, quater per hebdomadem hora auditoribus commoda disseret. In *Psalmis* praelegendis linguarum et antiquissimae et recentissimae instituet comparationem, ita ut idio-

matum Hebraeorum et Anglorum clarius elucescant indoles atque natura. *Shakespearii tragoedias historicas* interpretabitur.

BERNHARDUS RIEMANN, Dr., *calculum integralium definitorum* docebit quater per hebd.

M. UHLEMANN, Dr., privatim *Antiquitates Aegyptiacas* tradet quater per hebd. hora VIII — IX. Gratis *Historiam veterum Aegyptiorum* enarrabit binis scholis per hebd. hora IX — X. *Mosaïcam de Israëlitis in Aegypto commorantibus narrationem* e monumentis Aegyptiacis interpretabitur die Sat. hora V—VI. Privatissime *linguae Copticae grammaticam* docebit et *monumenta veterum Aegyptiorum hieroglyphica* interpretabitur.

R. DEDEKIND, Dr., ter vel quater per hebd. *Methodum quadratorum minimorum* docebit hora IX—X.

CAROLUS ANTONIUS GÖSSMANN, Dr., *Pharmaciam* ad usum Medicinae studiosorum docebit una cum *Pharmacopoeae Hannoveranae* explicatione, hora posterius indicanda.

* * *

Musicam delineandique artem, nec non cultissimorum Europae populorum *linguas ac literas* tradent etiam alii viri intelligentes doctique, iique lectionum suarum rationem tempusque loco solito indicabunt. *Saltationem armorumque tractandorum artem* stipendiis regiis auctorati Magistri docent, neque in *nosocomio veterinario* deerit qui rei rusticae studiosos ad curandos jumentorum morbos instituat.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE:

Hora:	THEOLOGICAE.	JURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
6–7			Art. obstetr. (5) *Siebold.*	Pharmaciam (6) *Wiggers.*
7–8		Jus german. priv. (6) *Kraut* et *Roessler.* Jus mercaturae (5) *Thöl.*	Nosol. et Therap. spec. p. I (5) *Fuchs.* Botanicen (6) *Grisebach.* Diagnost. (4) *Krämer.* Exercit. microsc. (4) *Förster.* Mater. medic. (5) *Schuchardt.* Pathol. gen. (5) *Wachsmuth.*	Botanic. special. (6) *Bartling* et *Lantzius – Beninga.* Encyclop. et methodol. philol. (6) *Hermann.* Calc. diff. et integr. (5) et Attr. ellips. (1) *Stern.* Theor. oecon. P. I (5) *Griepenkerl.* Chem. analyt. (3) *Wicke.*
8–9	Hist. eccl. P. II. (5) *Redepenning.* Hist. eccl. P. I. (6) *Duncker, Dieckhoff, Holzhausen.*	Hered. doctr. (6) *Francke.* Jus eccles. (6) *Aegidi.*	Anatom. compar. (4) *Wagner.* Clinic. chirurg. ophth. (6) *Baum.* Botan. medic. (4) *Grisebach.* Mater. medic. (4) *Gieseler.*	Geognosiam (6) *Hausmann.* Botan. medic. (5) *Bartling* et *Lantzius-Beninga.* Philos. relig. (4) *Bohtz.* Aeschyl. Choephor. (5) *Schneidewin.* Hist. med. aevi (4) et reform. (1) *Waitz.* Hist. liter. med. aevi (4) *Schweiger.* Mechan. sublim. (5) *Stern.* Synon. angl. (3) *Melford.* Antiqu. Aegypt. (4) *Uhlemann.*
9–10	Evangelia tria priora (6) *Reiche.* Hist. dogm. med. aev. (1) *Duncker.* Epist. ad Corinth. (6) *Matthaei, Lünemann, Messner.*	Pandectas (6) *Ribbentrop* et *Esmarch.* Jus german. priv. (6) *Kraut* et *Rössler.* Encyclop. juris (4) *Zachariae.* Process. practic. (5) *Wolff.* Obligat. jus (6) *Mommsen.*	Hist. liter. medic. (2) *Marx.* Chemiam (6) *Wöhler.* Physiologiam (6) *Berthold.* Clinic. chirurg. ophth. (6) *Baum.*	Pauli Epist. ad Galat. et Corinth. (6) *Ewald.* Demonstr. numism. antiqu. (1) *Hermann.* Statist. oecon. nation. (4) *Hanssen.* Rem scenic. Rom. (3) *Wieseler.* Syntax. graec. latin. compar. (5) *Lange.* Meth. quadr. minim. (4) *Dedekind.* Hist. vet. Aegypt. (2) *Uhlemann.*
10–11	Semin. homil. (1) *Redepenning* et *Ehrenfeuchter.*	Theor. process. crimin. (5) *Zachariae.* Jus criminale (6) *Herrmann.* Histor. jur. romani. (6) *Hartmann, Esmarch, Bodemeyer, Elvers.* Histor. jur. (5) et font. German. (1) *Löher.* Juris Germ. publ. histor. (1) *Aegidi.*	Praxin medicam (6) *Fuchs.* Physiol. exper. P. I. (5) *Wagner.* Physiol. gen. et spec. (6) *Herbst.*	Technologiam (4) *Hausmann.* Trigonometriam (6) *Ulrich.* Jesaiam (6) *Ewald.* Orat. Livi (3) et Thucyd. (2) *Leutsch.* Psalmos *Bertheau.* Mineral. (4) *Sartorius de Waltershausen.* Crystallogr. (3) *Listing.* Archaeologiam (6) *Wieseler.* Chem. agricult. (4) *Griepenkerl.* Antiqu. Rom. publ. (5) *Lange.* Hist. constit. Cathol. (3) *Th. Wüstenfeld.*
11–12	Isagogen N. T. (5) *Reiche.* Dogmaticam (5) *Redepenning.* Semin. homil. (1) *Redepenning* et *Ehrenfeuchter.* Apologeticam (4) *Ehrenfeuchter.* Catechet. praecepta (4) et exercit. (2) *Rettig.* Vit. Christi (4) et Proleg. dogm. (1) *Dieckhoff.*	Pandectas (6) *Ribbentrop* et *Esmarch.* Instit. jur. romani (6) *Francke, Mommsen, Elvers.* Process. practic. (4) *Briegleb.* Process. civil. theor. (6) *Hartmann.* Jus privat. Hannov. (6) *Bodemeyer.* Jus Boruss. civ. (5) *Löher.* Juris Germ. publ. histor. (1) *Aegidi.*	Praxin medicam (6) *Fuchs.* Anatom. gen. (3) et Osteol. (3) *Henle.*	Botan. oecon. (4) *Bartling.* Semin. philol. (5) *Hermann, Schneidewin, Leutsch.* Sem. paedag. (3) *Hermann.* Hist. Brunsv.–Luneb. (4) *Havemann.* Introd. V. Test. (6) *Bertheau.* Stoechiom. (2) et Crystall. (3) *Sartorius de Waltershausen.* Geogr. American. (4) *Wappäus.* Chem. organ. (1) *Limpricht.* Liter. Germ. eleg. *Tittmann.* Plut. vit. *Lion.*
12–1	Evangelium Joannis (5) *Dorner.*	Jus publ. Germ. (6) *Zachariae.* Philos. jur. (4) et jur. crimin. sel. (2) *Herrmann.* Jus Hannov. (6) *Grefe.* Hist. jur. German. (4) *Rössler.* Font. German. (1) *Löher.*	Anatom. spec. P. II. (6) *Henle.*	Optic. (4) *Listing.* Walthar. ab Aviario (2) *G. Müller.*

Hora:	THEOLOGICAE.	JURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
1–2				Racin. Mithr. (1) *César.* Sanscrit. gramm. (3) et Chrestom. (2) *Benfey.* Philos. doctr. aesthet. (2) *Tittmann.* Cicer. Offic. *Lion.*
2–3	Coheleth (2) *Redepenning.* Pauli dogmat. (2) et Vit. Christi (2) *Matthaei.* Epist. Coloss. Ephes. (2) et Grammat. hebraic. (1) *Elster.*	Proc. civil. theor. (2) *Hartmann.* Jus eccles. *Rothamel.*	Histor. natur. et zoolog. (6) *Berthold.* Ocul. chirurque morbos (4) et oss. fract. lux. (2) *Baum.* Syphil. (1) *Krämer.*	Geometr. analyt. (4) et Exerc. math. (1) *Ulrich.* Syntax. graec. (4) *Schneidewin.* Microsc. dioptr. (1) *Listing.* Montaigne (2) *César.* Gramm. indogerm. compar. (4) *Benfey.* Pharmacognosiam (5) *Wiggers.* Shakesp. King Lear (2) *Th. Müller.* Cervant. *Melford.*
3–4	Jacobi et Petri epistolas (2) *Reiche.* Politicen eccles. (1) et Theol. pract. P. II (4) *Ehrenfeuchter.* Grammat. hebraic. *Holzhausen.* Jacobi epist. (2) *Messner.*	Process. practic. (2) *Briegleb.* Relatorium (3) *Wolff.* Jus gentium (4) *Aegidi.*	Remed. effect. (5) *Marx.* Clin. et Oper. obstetr. (6) *Siebold.* Chirurg. P. I (1) *Baum.* Anatom. pathol. (4) *Förster.* Mater. medic. (4) et cutis morb. (1) *Wiese.* Morb. cutan. (4) *Lohmeyer.*	Lingu. pers. armen. (3) et syriac. (2) *Ewald.* Physic. exper. P. I (3) et Observ. physic. (1) *Weber.* Logic. et Metaph. (5) *Ritter.* Oecon. nation. theor. (4) *Hanssen.* Hist. liter. Germ. (2) *Bohtz.* Aristoph. Ran. (5) *Leutsch.* Hist. Europ. regn. (4) *Havemann.* Aesthet. (4) *Lotze.* Gramm. theotisc. hist. (4) *G. Müller.* Chem. organ. (2) *Limpricht.* Hist. imper. Orient. (3) *Th. Wüstenfeld.*
4–5	Theologiam V. Test. (3) *Dorner.* Hist. eccl. T. III (5) *Duncker.* Hist. dogmat. *Holzhausen.*	Civile pract. (2) *Thöl.* Gaji Comm. (3) *Wolff.* Digest. leg. select. (2) *Elvers.*	Pathol. et Therap. (4) et Encycl. med. (2) *Conradi.* Pathol. et Therap. gen. (4) *Marx.* Chirurg. P. I (5) *Baum.* Semiol. et diagnost. gener. (2) *Wachsmuth.* Ophthalmol. (4) *Gieseler.*	Physic. exper. P. II (3) et Observ. physic. (1) *Weber.* Encycl. et method. philol. (5) *Hermann.* Hist. German. rec. (4) *Waitz.* Chem. organ. (2) *Limpricht.*
5–6	Exerc. catechet. (2) *Ehrenfeuchter.*	Servit. et pignor. (3) *Ribbentrop.* Civile pract. (2) *Thöl.* Jus duod. tab. (1) *Esmarch.*	Nosol. et Therap. spec. P. I (4) *Fuchs.* Auscult. et percuss. (4) *Wiese.*	Geometr. practic. (3) *Ulrich.* Histor. philos. P. I (5) *Ritter.* Persii Satir. (3) *Hermann.* Histor. philos. recent. (4) *Lotze.* Schol. gallic. (4) *César.* Israel. in Aegypt. (1) *Uhlemann.*
6–7			Operat. chirurg. *Baum.*	Geometr. practic. (3) *Ulrich.* Curs. encycl. philos. (4) *Lotze.* Schol. gallic. (4) *César.* Gramm. anglic. (4) *Th. Müller* et *Melford.*
Hora nota vel post indicanda.	Privatissima *Holzhausen.*	Diss. civil. et eccles. *Herrmann.* Pandectas et examinatoria *Rothamel.* Exeg. font. germ. *Rössler.* Jus civile *Esmarch.* Repetitoria *Bodemeyer, Elvers.*	Praxin chemicam *Wöhler,* Exerc. zoolog. *Berthold,* physiol. *Wagner, Herbst,* botan. *Grisebach.* Fasc. et vinct. *Krämer.* Chem. et Pharm. *Stromeyer.* Explor. physic. *Schuchardt.* Vulnera *Lohmeyer.* Pathol. gen. et Medic. forens. *Schrader.*	Histor. Rom. *Hoeck.* Cur. pauper. *Hanssen.* Soc. philol. *Schneidewin* et *Wieseler.* Ling. arab. et syriac. *Bertheau.* Exerc. miner. *Sartorius de Waltershausen,* physic. *Listing,* archaeol. *Wieseler,* chemic. *Bödeker, Limpricht, Wicke.* Elem. arab. *Wüstenfeld.* Histor. dram. Gall. *César.* Soc. theotisc. *G. Müller.* Ling. recent. *Th. Müller* et *Melford.* Sanscrit. gramm. *Lange.* Examin. botan. *Lantzius-Beninga.* Mathes. *Focke.* Ling. antiqu. recent. *Lion.* Histor. et Pol. *Finck.* Geogr. sacr. Psalm. Shakesp. *Bialloblotzky.* Calcul. integr. defin. *Riemann.* Ling. copt. et hierogl. *Uhlemann.* Pharmaciam *Gössmann.*